LEGIS EVANGELICAE SELECTIORA CONTRA BIBLIOMACHOS ILLUSTRATA

A

P. SERAPHINO HIPPLER

Ord. FF. Min. S. Francisci Strict. Obs. Recoll. Prov. Thur. S. Elisabeth S. Scripturae Professore P. & O., ejusdemque sacrae Hermeniae in Conventu Mariano prope Fuldam Lectore ordinario.

Accedit

Brevis disquisitio in Theologiam typicam, & Jonam Christi typum

atque

Harmonia Evangelica.

Fuldae & Wirceburgi,

Typis & Sumt. J. J. Stahel, Bibliop. & Typog. Aul. & C. Wirc.

1784.

S. Paulus 2. Tim. C. 3.

Scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa: erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi. blasphemi... criminatores, inconti- nentes, immites sine benignitate, proditores, pro- tervi, tumidi, & voluptatum amatores magis, quam Dei, habentes speciem quidem pietatis, vir- tutem autem ejus abnegantes ... semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes ... Homines corrupti mente, reprobi circa fidem. . . . Insipientia eorum manifesta erit omnibus.... Ma- li homines & seductores proficient in pejus, errantes & in errorem mittentes.... Tu vero permane in iis, quae didicisti, & credita sunt tibi, sciens a quo didiceris.... Sacrae literae possunt instruere ad salutem per fidem, quae est in Christo Jesu. Om- nis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad do- cendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad eru- diendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum intellectus.

S. Gregorius Nazianz. sive Theologus Orat. 5. de Theol.

Deus volens homines ducere, ut ipsi eligant & sequan- tur, dedit veritates, ut portare poterant: vetus Testamentum clarius docuit Patrem: in novo Te- stamento magis patet Filius: Spiritus sanctus se ipsum declaravit, dum post ascensionem Jesu Chri- sti in discipulos descendit.

APPROBATIO CENSORIS ORDINARII.

Praesentem illustrationem Legis Evangelicae uti & disquisitionem in Theologiam typicam perlegi, nihilque in hisce paginis deprehendi Catholicae fidei aut bonis moribus adversum, sed plura potius in hisce inveni pro Religione Christiana defendenda aptissima & selecta, quae obstruunt os loquentium iniqua: quare hasce paginas dignas judico, ut publico praelo subdantur

P. CONRADUS EBERTH, *O. S. B, ad S. Salv. Fuld. prof. S. T. & J. U. D. Cathedralis Ecclesiae Fuld. Theologus, Rdmi ac Celss. Princ. & Episc. Fuld. Cons. Eccles. SS. Can. in Alma Univ. Fuld. Professor P. O. Fac. Jurid. Dec. Stud. in Peril. Conv. Praeses & Lib. Censor.*

FACULTAS A. R. P. PROVINCIALIS.

Ut opusculum: Legis Evangelicae Selectiora illustrata ab A. V. P. Seraphino Hippler Ordinis FF. Minorum S. Francisci Strict. Obs. Recoll. Provinciae Thuringiae S. Elisabeth, S. Scripturae in monte Mariano Lectore, ejusdemque in Universitate Fuldensi Adolphiana Professore publico compositum typis man-

mandetur, visis Theologorum approbationibus, facultatem concedo. Dabam in Conventu Hammelburgensi die 15. Nov. 1783.

F. Jacobus Hahn
Minister Provincialis
mppr.

APPROBATIO THEOLOGICA.

Cum praesens opusculum nihil, quod orthodoxae fidei, aut bonis moribus adversetur, in se contineat, imo praeclaras ad intelligendam S. Scripturam N. Testamenti doctrinas complectatur; hinc idem luce publica dignissimum judicamus

F. Innocentius Adrian,
Ss. Theologiae Lect. Emer. ac Theologiae Moral. & Pastoral. in Universitate Adolph. Professor P. & O.

F. Edmundus Weisbecker,
in Monte Mariano prope Fuldam SS. Canonum Lector ord.
die 13. Nov. 1783.

CON-

CONSPECTUS OPUSCULI.

CAPUT II.

§ IX.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

§ I.

PRAEFATIO.

Ad hunc ſolum finem prehendi calamum in conſcribendo hoc qualicunque opuſculo, ut ad diſcipulorum meorum utilitatem prodeſſem quidpiam facilioremque profectum; nam plerisque volumina, quae hanc materiam ſiſtunt, dum cara & magnae molis extant, paſſim deſunt; ſique etiam hae celeberrimorum virorum lucubrationes in Bibliotheca noſtra proſtarent, perlegendi tamen tempus deſideratur, cum aliis adhuc diſtineantur laboribus, curis & ſtudiis. Praemiſeram ad eundem ſcopum haud ita pridem literarium prodromum in Legem Naturae, & poſtea in Legem Moſaicam, velut tres mundi aetates ſunt ab Adam ad Moſen, & ab hoc ad Chriſtum uſque. Utrumque publicae exercitationi identidem expoſitum ad id temporis declaro, ut tyrones noſtri praeter hermeniam ſacram etiam perdiſcant reſpondere incredulis, quorum impietas hodiedum ut cancer ſerpit, & illi eſis vitiatas addere partes, gratulatur ſibi. Prim um vero opuſculum nonnullis diſplicuit ob titulum: Lex Naturae. Alii brevitatem accuſant: aliis alia non ſat curate videntur expoſita: ſunt etiam, qui ſenſum myſticum a me

negle-

neglectum piis gemunt querelis; ſed jam ante foetum editum memineram illud Joan. Oweni Epig. Lib. 3. Edit. Wratisl. pag. 180.

Non cuivis lectori auditorique placebo;
Lector & auditor nec mihi quisque placet.

In Biblioth. Eccleſt. Friburg. Volum. V. Faſcic. IV. pag. 728. etiam a clariſſimo, eruditiſſimo & elegantiſſimo Cenſore vapulavi, cui bono Homero, ſiquidem videatur nonnihil dormitaſſe, ut liceat pro debita tanto Viro reverentia modeſte reſpondere, obſecro.

Pag. 6. cit. opuſculi mei probavi contra varii nominis incredulos, Sanchoniathonem Moſe longe recentiorem eſſe, tandem ſubdidi: "Cenſent periti arbitri Philonem non interpretem, ſed auctorem eſſe &c. Adhaec Clar. Cenſor eleganter, at non ſincere inquit: "Cenſet Philonem Sanchoniathonis non in-"terpretem, ſed auctorem eſſe; at cum San-"choniathon idololatriam ſuadeat, ut auctor "diſſertationis adfirmat, impetrare abs nobis "non poſſumus, ut credamus librum ab ho-"mine Judaeo ſcriptum eſſe."

An ſodes! unicus Philo, & quidem Judaeus tantum exſtitit? de quo S. Hieron. in Cat. Script. Eccl. Edit. Colon. pag. 102. & Sixtus Sen. Biblioth. S. Edit. Francf. pag. 313. memorant. Repetitam feci mentionem de Philone Byblio, cfr. Lin. 10. & 21. & quidem in Phaenicia nato, cfr. Lin. 21.; de Philone Judaeo ne cogitavi quidem; bene vero

de

de Philone Byblio ac Gentili expreſſe ſcripſi, de quo Euſeb. Praepar. Evang. Edit. Baſil. pag. 21. exarat: "Traduxit (Sanchoniatho-"nem) in Graecum Philo non Hebraeus, ſed "Byblius, quos magnis laudibus Porphyrius "in quarto eorum, quos adverſus nos libros "evomit, - - - decoravit:" iterumque Euſeb. de eo pag. 189. ſcribit: "Artapanus ſimi-"liter & Philon non Judaeus - - - teſtatus eſt."

Alias in Diction. Hiſtor. Geograph. &c. Edit. Stoerianae adpellatur Philo Herennius, Byblius genere: reticeo ceteros auctores, qui Philonem, quem bis nominavi Byblium & ſemel Phaenicium, demonſtrant fuiſſe ethnicum, nequaquam Judaeum.

Pergit Cl. Cenſor pag. 11.: "Pronunciat "ex Gen. IV. 13. 33. necdum probari, Cain "desſperaſſe, & a Lamech trucidatum eſſe. "Gratius lectoribus multis feciſſet auctor, ſi "aſſerti Vulgatae oppoſiti addidiſſet rationem "aliquam." Addam igitur.

Neutrum aſſertum Vulgatae opponitur: Dixi necdum probari; ubinam in toto Cap. 4. Vulgata enunciat Cain deſperaſſe? ubi Lamechum Caini innuit homicidam? adpello ad Vulgatae literam: probe alias novi, quid Interpretum vulgus ac opuſcula Biblica theodiſca ſentiant. Nonne quilibet peccator lethalium conſcius ad Deum poteſt debetque ingemiſcere: Major eſt iniquitas mea, quam

ut

ut veniam merear: haeccine desperatio? ubi Vulgata insinuat illam?

Verum (quod pace Cl. Censoris dixerim) perpensa contextus ratione Cain primus latro lamenta potius sua de poena iniquitatis, quam iniquitate ipsa exprimit, & vitae suae a quovis extinguendae pertimescens, divini judicii severitate magis percellitur, quam sceleris sui atrocitate conteritur. vv. 10 -- 12. divinae Nemesis rigorem & maledictionem percipit, & v. 13. ait: גדול עוני מנשוא Major est poena iniquitatis meae, quam ut eam feram, aut sustinere queam. v. 14. querelas suas prosequitur: Ecce ejicis me . . . . ero vagus . . . omnis . . . occidet me.

Cum igitur עון tam iniquitatem quam hujus poenam denotet, & radix נשא notionem aeque exserat, veniam merendi, ferendi, sustinendi &c., ista expositio contextui adcommodata profluit, etiam Judaeorum Doctoribus familiaris ac nullo modo spernenda, siquidem in re hac adiaphora nobis imponere haud voluisse censendi sunt; & cum nec dogma, nec res morum hic intercedat, aliquantisper ad fontem recurrere quid prohibebit? De hoc mens S. P. Augustini clare expressa est de Doctr. Christ. Lib. 2. c. 11.

Gen. 14, 23. verba sunt aenigmati similia, in diversissimas imo absonas exegeses distracta, quae nesubobscure quidem indicant,

Cai-

Cainum a Lamecho trucidatum esse. Sed quid haec? Cainum plane non occisum esse v. 15. affatim elucet: וישם יהוה לקין אות לבלתי הכות אתו scil. Dominus, promissis incredulum Cainum placaturus; ut plenum de vitae securitate praeberet argumentum, prodigium coram Caino operatus est.

Fatetur Lamech: Hominem peremi לפצעי sed ad vulnus mihi prius inflictum לחברתי ad vibicem mihi prius incussam. q. d.: vim vi repellens me contra injustum adgressorem defendi. Haud dubie, quod Cainus fatum post fratris caedem reformidavit, id etiam Lamecho Ada & Sella uxores pertimuere; hoc igitur utitur argumento: Si Caini occisor, qui tamen verus homicida, vindictae septuplae reus est; multo magis semetipsum insontem vitae propriae defensorem de interfectore sui septuagies septies vindicatum iri dictat. Cfr. Wilh. Green Commentar. in textus quosdam poeticos V. T.... Tandem ad ceteras crises de opusculi molecula respondeo, quod praeli sumtibus parcere jussus sim: id quod etiam in praesenti non absque causa observandum censui.

In fine Dissertatio adposita est in Jonam Christi morientis, sepulti & redivivi typum, praemissis queisdam in Theologiam typicam principiis: de industria hanc selegi prophetiam, quam post varios revelatae veritatis ho-

hostes prae ceteris adortus est Auctor Fragmenti Quelpherb. Hanc etiam adversus pellucida Jesu testimonia Matth 12. & 16. suggillat anonym. Auctor Libelli: *Fragen an Gelehrte über den Kanon. Berlin 1781.* ubi pag. 70. disserit: *Ob Jonas unter die kleinern Propheten gehöre, möchte sehr zu fragen seyn. Was Matth. 12. gesagt wird, beweiset nicht einmal, daß er ein eigentliches Vorbild auf Christum gewesen.* Tandem harmonia Evangelica sequitur, ad qualem normam hucusque sacram exposui historiam, quam ob oculos positam meis & Tyronum commodis arbitror opportunam. Deum O. M. rogo, ut conatus meus cedat ad majorem Dei immortalis in corpore mortali patientis gloriam, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Amen.

PRO-

PROLEGOMENON

IN

S. JESU C. EVANGELIUM.

§. I.

Notio Evangelii.

ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΝ laetum fauſtumque nuntium ſignificat. Cfr. Luc. 2, 10, & ſic dictum eſt ab hebr. בשורה, velut *Chriſtus* a משיח, Apoſtoli a שלוחים, a ברית Διαθηκη, Eccleſia a כנסת appellationem trahunt; ſiquidem veteres Chriſtiani voces quasdam a Judaeis antiquitus uſurpatas in verba ἰσοδυναμα transferentes retinuere. Deſcribitur vero Rom. 3, 27. Lex fidei, ac c. 8, 2. Lex ſpiritus vitae, & Tit. 3, 5. Lex, qua regeneramur, ac Spiritus ſancti gratia renovamur. Impia eſt blaſphemantium Judaeorum etymologia ex: עון גליון vel און: eodem nobiſcum ſenſu etiam apud profanos Evangelium ſumitur. Cfr. Cic. Lib. 2. Epiſt. 3. ad Attic. & Epiſt. 12.

§ II.

Dignitas S. *Evangelii*, *quod tamen multi parvi pendunt, imo proterve hoc aevo nostro controvertunt.*

Hac ſacra actuum & ſermonum Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri hiſtoria nihil verius. Cfr. S. Aug. Lib. 1. de conſenſ. Evangeliſt. c. 1. Nihil ſanctius, nihil animum aeque nutrit, roborat & conſolatur. Cfr. S. Chryſ. Hom. 31 in Matth. Nihil perinde dignum, ut omnibus exornetur luminibus, & ad cunctos vitae noſtrae dies ſumma induſtria, aſſidua meditatione, perſpicuoque tractetur ſermone, quia coeleſtis haec doctrina; non tam frequenter amplius hodie ſtupendis illis comprobatur miraculis, quae olim naſcente Eccleſia longe potentius, quam verba effecere fidem, cum ad evangelizantium juſſa repente claudi ambularent, coeci viderent, ex tumulis reſurgerent mortui, & ex morbis incurabilibus ſubito recrearentur mortales.

Ita vero omnes natura comparati ſumus, ut beatitudinem nulla miſeria, ſine nullo turbandam ardentibus votis cupiamus; ſed quis non ſentit, his in terris nihil fluxum & tranſitorium deſideria noſtra exſatiare poſſe, quam blande etiam afficiat ac delectet? Ex ſola potius cognita Jeſu C. doctrina & vita pendere viam recti & veri, ſcil. rationem inveniendae veritatis, & conſequendae felicitatis noſtrae, certum eſt, cum rebus ceteris quibuscunque perſpectis nec beatiores, nec ignorati iisdem reddamur miſeriores; aſt in perdita adeo tempora nos incidere contigit, quibus diligunt homines magis tenebras quam lucem, Joan. 3, 19. imo multorum ea eſt conditio, ut vivant alieni ab omni SS. Literarum, praecipue lectionis evangelicae ſtudio, ſaniſque de illo ſermonibus, nec ullam religio-

ligionis mentionem fieri sinant, nisi ut illa adducatur in contemtum, atque virulentos derisus: ergo mirum non est, si de illa dubitent, quam hucusque ignorarunt. Cfr. Instruct. Pastoral. D. Ant. de Malvin Archipraesul. Lugdun. p. 1. de fontibus irreligionis, scil. ignorantia; attamen de illa ceu nota sibi atque perspecta judicium ferre audent; legi enim evangelicae inobedientes, contra rodentem adhuc in se vermem eo se tutantur misero ratiocinio, tantam sibi non videri Evangelii certitudinem, ut bona, quae pollicetur, post mortem demum adfutura, praesentium amissione velint redimere.

Sic hodiedum illud Simeonis Luc. 2, 34. vaticinium suum habet eventum, quod non solum Jesus C., sed ejus etiam religio posita sit in ruinam multorum .... & in signum, cui contradicetur. Quem impietatis sub novissima tempora progressum etiam Salvator in Evangeliis, SS. Petrus, Paulus & Judas saepe praenuntiarunt in canonicis epistolis. 2. Pet. 3, 3. 2. Tim. 3, 1 -- 14. ep. Jud. v. 17 -- 19. Hi infelices pariter ad ea, quae vox naturae resonat, ceu incerta & nulla interiore sensu obsurdescunt, & certi nihil de Deo & religione resciri posse impia scepsi opinantur, ne ingrata veritas, quae errore liberat, simul praesentis vitae voluptatem, gaudia & ludos extorqueat. Verum dum SS. Evangelistae divini Numinis exsistentiam, animum cum corpore non interiturum, aeterna malorum supplicia & virtutum praemia &c. &c. tam luculenter testantur, perpendant, annon, dum Evangelio verbo & opere adversantur, veritatem omnem, imo etiam solem, dum purius adlucet, pariter negare eadem protervia queant; Apostolos vero doctas fabulas esse secutos, delusos, aut delusores esse, aut eorum volumina incerta vel corrupta esse, si criminentur,

tur, advertant, quantum insaniant. "Infelices inimici animae vestrae, ait S. Aug. Lib. 33. c. Faustum, quae unquam literae ullum habebunt pondus auctoritatis, si evangelicae, si apostolicae non habebunt? de quo libro certum erit, cujus sit, si literae, quas Apostolorum dicit & tenet Ecclesia, ab ipsis Apostolis propagata, & per omnes gentes tanta evidentia declarata, utrum Apostolorum sint, incertum est.

§. III.

Character S. Evangelii, & Evangelistarum.

Evangelistae, quae aut oculis auribusque percepere, aut a praesentibus testibus omni fide dignis accepere, scripserunt, non occulta, non labili paucorum testimonio suffulta. Sic, quae S. Lucas exarat de divi Praecursoris ortu, vita, encomiis, testimoniis de Jesu, morte &c. omnibus fuere cognita. Zacharias in templo obmutuit: Elisabeth senex & effoeta mulier nequiit parere, quin sermones de se plures excitaret Judaeam ubique pervagatos. Pleraque Jesu signa patrata sunt in Synagogis, plateis, emporiis, in civitatum portis, in litore, in deserto, ast multis hominum millibus ubique circumfusis. Vitae redonati, claudi ambulantes, coeci illuminati, aliique persanati cum stupore a cunctis videbantur. S. Matthaeus. sive anno Christi 41. aut 61. Evangelium suum scripserit; nihilominus coaevi plurimi illa, quae ante Jesu mortem & resurrectionem atque postea accidere, sat comperta habuerunt. Neque Tertullus Judaeorum Orator anno C. 56. cum Paulum coram Felice Praeside accusaret, Cfr. Act. 24, 5, neque Festus Act. 26, 23. Apostolos aut Nazarenos fraudum mu-

insimulant, sed hoc praesente Festo Agrippa Paulo dixit: In modico suades, me Christianum fieri. Et profecto impossibile fuerat, ejusmodi ceu in propatulo & in conspectu omnium gesta ementiri, librosque, qui haec facta referrent, & assseverarent, per orbem spargere, ad mutandum vitae pristinae genus, mores, religionem, totumque hominem & ad doctrinam plane novam atque hactenus inauditam & ab hominum affectionibus moribusque prorsus alienam ubivis inducendam.

Apostoli ipsi & horum successores prodigia effecerunt a Magistro suo Jesu saepe diserteque praenuntiata, & animos oculosque suos nequaquam esse delusos, abunde experti sunt. Nec unquam res fuit, quae tanta testimoniorum copia & fide fuerit asserta, quam prima christianae religionis historia, nec ulla res majore difficultate fingi aut obtrudi potuit, quam eadem religio, quae tamen toto repugnante orbe brevi universum occupavit, nihil impedientibus diris quibusvis obstaculis, praejudiciis & adversitatibus. Certe ex relictis pervicacissimorum hostium monumentis videre licet, non eos rem historicam, sed dogmaticam solum adgressos esse, ut proinde necessitas nulla olim incumberet, facta haec in dubium haud revocata asserendi, imo ad ea in publicis adversariorum monumentis consignata non semel primi Christiani provocarunt. Et cujus boni aut emolumenti causa eluserint alios? inanis gloriae non fuerunt adpetentes; praeter ceteras enim labes suas aperte & saepe fatentur, quod Jesus rerum imperitiam, cordis duritiem, incredulitatem severe iisdem exprobrarit. Non sine maxima sinceritate se imbecilles, peccatores, inopes piscatores, & ante vocationem soli reti & naviculae intentos fuisse eloquuntur. Probe gnari,

nihil aeque, ac ambitionem ſpiritui Evangelii obſtrepere, nihilominus candide narrant, quantopere honores antea & praerogativas exambierint, ita, ut invidia & honorum contentio murmura & lites adhuc exciraret, quo tempore Jeſus altero die moriturus valere diſcipulos ſuos juſſit in ultima coena. Luc. 22, 24. Ignaviam, turpem fugam, & triplicem Apoſtolorum principis negationem ac perjurium minime ſilent. Cfr S. Chryſ. Hom. 86. in Matth. An neceſſe erat has circumſtantias tam candide fateri, quae videri poſſent evangelicae praedicationi potius obfuturae? Certe humana providentia hic conſulta ita rem temperaſſet, ut has infirmitates, peccata, exilem conditionem, & inſcitiam alto premeret ſilentio. Voluptatis, commodi aut lucri ſpes ſimul cuncta diſparuerat, nonniſi labores, incommoda, carceres, lacrymas, opprobria, crucem & crudelem mortem iis Servator praedixit. O quam belle Tulliana verba Lib. 4. Acad. quaeſt. Cap. 8. hunc in locum cadunt: " Ille vir bonus, qui ſtatuit omnem cruciatum perferre, intolerabili dolore lacerari potius, quam officium prodat, aut fidem, cur has ſibi tam graves leges impoſuerit, cum, quam ob rem ita oporteret, nihil habeat comprehenſi, percepti, cogniti, conſtituti." Nihil minus agunt, quam ut inter ſe materiam, ſtruemque contuliſſe ſcribendi, aut aliquid diſſimulaſſe, aut ſtudioſius limaſſe videantur ad obtinendam fidem, ſed ſimplici & nativo calamo enarrant omnia. Si ulla colluſionis fraudisve delituerit ſuſpicio, quomodo tot inter viros evangelicae doctrinae praecones pax jugiter conſtitit & concordia? nunquam autem famae eorum potuit quidquam labis aut dedecoris adfingi, quin ſincerae charitatis, caſtiſſimae morum diſci-

plinae

plinae & sanctitatis, qua instituere alios, exemplo cunctis praeluxerunt. Audiatur Gentium doctor 2. Cor. 4, 2 quomodo Apostoli turpi occultatione repudiata non callide se gesserint, neque divinam doctrinam fallaciter tractarint, sed veritatis declatione semetipsos apud omnem hominum conscientiam in Dei conspectu commendarint. Cfr. seqq. ibid. Cumque profecto interesset omnium, apostolicae doctrinae veritatem ac fundamenta penitus rimari, cur nihil unquam sinistri aut doli retectum est? Fabulis quidem nonnunquam hominum aliqui solent oblectari, sed non ita, ut eas ceu veras adprobent, & stolido fortunarum, vitaeque ipsius dispendio nundinentur. Fascinari nonnunquam potest unus alterve oculus, ut, quae non sunt, esse, quae non videt, videre se putet; integras autem nationes de integra factorum serie persuadere velle, easdem falsitates pluribus annis continuis repetitionibus inculcare in re omnium attentione digna, in re summe ardua, quae generalem orbis totius conversionem post se trahit; qui id a se impetrari posse Evangelii praecones existimarint?

§ IV.

S. Evangelium ob evidentem certitudinem mirifice propagatum.

S. Evangelium omnibus veritatis dotibus & notis insignitur. Initio non unus alterve, aut pauci discipuli hac doctrina se obtulere erudiendos, non in aliqua tantum schola, in vico uno, remoto in oppido, aut certa tantum regione; sed ubique infinitus hominum numerus cujusque sexus, aetatis, conditionis, sectae, statim ut praedicari ce-

pit, Evangelium religiofe coluit, & pro eo mortem oppetere atrociffimam, Chriftiani antiquius duxerunt, quam finere, ut inventa tam pretiofa margarita fibi eriperetur. Hos omnes mente captos fubito foret afferendum, nifi divinum opus, & mutatio dexterae Excelfi haec effet, ac prorfus convincentia impuliffent argumenta. Primis jam Ecclefiae feculis tum miraculis tum fanctitate & fcientia permulti eminuere, quos inter Clemens Rom., Ignatius, Quadratus, Hegefippus, Polycarpus, Irenaeus, Papias, Pantaenus, Athenagoras, Theophilus Antioch., Clemens Alexand., Juftinus, Tertullianus, Hippolytus, Julius Afric., Origenes, Arnobius, Lactantius, Cyprianus; fic, ut Eufebius Lib. 3. Hift. 4. fcriberet, viros infignes literis & pietate, qui Apoftolis fucceffere per orbem terrarum, fe numerare non poffe. Quinimo tefte S. Paulo Phil. 4. 22. natalibus nobiliffimi, atque jam tum ex ipfo fenatorio Romanorum Ordine 2. Tim. 4. aliique multi fub gentilium Imperatorum tyrannide evangelicae doctrinae fubfcripferunt. Cfr. Iren Lib. 5. Tertull. Apolog. c. gentes. Eufeb. Lib. 2. Hift. c. 23. Lib. 3. c. 18. ex quibus elucet, quam blafpheme dixerint Bolingbroke, & Auctor fragm. de fcopo Jefu & difcipulorum; non teftificationem de religionis chriftianae divinitate, fed bonorum communionem fuiffe caufam, qua impulfi ftatim ab initio tot profelyti ad Apoftolos accelerarint; nam illa bonorum communitas nonnifi eleemofyna fuit ab opulentis fidelibus ad alendos egenos ex libera munificentia depofita. Cfr. Act. 5, 4. Igitur fidelium in Jerufalem coetus non fuerat turba mifcellanea ex mendicis & vefpillonibus, qui arrepta quadam religione in menfa fimul vefcentes fe enutritum femper iri fperabant: certe

Certe haud pauci divitiis & auctoritate pollebant, & hos ficta illa a Bibliomachis bonorum communitas a Christi fide potius abstraxisset. Christianorum potissima pars, gentiles, in statu suo ac vocatione manserunt. Cfr. 1. Cor. 7, 17 — 24 30. 31. Eph. 4, 28. quibus etiam otiosa vita interdictum est. 2. Thess. 3, 6 — 12. Nequidem Apostoli bonorum communione, quae tantum initio & Jerosolymis solum aliquamdiu vigebat, perfruiti sunt, sed ex opera sua victum quaerebant. Cfr. 2. Thess. 3, 7 — 9. Brevi post Jesu resurrectionem multi sacerdotes fidem amplexi sunt. Cfr. Act. 6, 7. An etiam hi alimentorum fiducia allecti sunt, qui ex sacrificiis, decimis &c. bene victitarunt?

Impudens Baylei quoque calumnia retunditur in Dict. Crit. Artic. Mahomed adserentis: initio nonnisi paucos, rudes, plebejos christiana sacra amplexos esse, doctos autem & nobiles diu restitisse, donec a principibus christianis ad ea vi & armis compellerentur. Annon ad concionem primam Apostoli Act. 2, 41. tria millia, ad secundam vero Act. 4, 4. quinque hominum millia ad Christum sunt conversa? nonne Samaria. & Urbes nobilissimae Roma, Corinthus, Ephesus, Antiochia, Thessalonica, Caesarea, Joppe, Lydda, Ptolemais, Tyrus, Sidon, Damascus, Cyrene, Cyprus, Salamis, Paphus, Rhodus, Creta, Pathmus huic suavi jugo colla subdidere? Certe apostolico jam aevo his in locis celeberrimae Ecclesiae sunt fundatae. Audiatur hic Tertullianus vir acri praeditus ingenio, divinis & humanis imbutus disciplinis post medium Seculi II. ex parentibus ethnicis natus, & circa annum 185. juxta Pamelium 196. ad Christum conversus, contra Judaeos c. 7. Edit. Commel.: »In quem alium uni-

verſae gentes crediderunt, niſi in Chriſtum, qui jam venit? cui enim & aliae gentes crediderunt? Parthi, Medi, Elamitae, & qui inhabitant Meſopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam, & incolentes Pontum & Aſiam & Pamphyliam: immorantes Aegyptum & regionem Africae, quae eſt trans Cyrenen, inhabitantes, Romani & incolae tunc in Jeruſalem Judaei & ceterae gentes, ut jam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hiſpaniarum omnes termini, & Galliarum diverſae nationes, & Britannnorum inacceſſa Romanis loca, Chriſto vero ſubdita, & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium, & Provinciarum, & Inſularum nobis ignotarum, & quae enumerare minus poſſumus, in quibus omnibus locis Chriſti nomen, qui jam venit, regnat... Chriſti autem nomen & regnum ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus ſupra enumeratis colitur, ubique regnat, ubique adoratur, omnibus ubique tribuitur aequaliter.

Idem Tertull. Apolog. c. 37.: "Si enim, ait, & hoſtes exertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deeſſet nobis vis numerorum & copiarum? Plures nimirum Mauri & Marcomanni, ipſique Parthi, vel quantaecunque unius tamen loci & ſuorum finium, gentes, quam totius orbis. Heſterni ſumus, & veſtra omnia implevimus, urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, decurias, palatium, ſenatum, forum: ſola vobis reliquimus templa. Cui bello non idonei, non promti fuiſſemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, ſi non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret, quam occidere." Cfr. ſimul Lib. ad Scapulam. cap. 2.

Teſta-

Testatur hoc etiam Justinus Martyr dial. cum Tryph.: "Atque ne unum quidem est genus mortalium, sive barbarorum, sive graecorum, seu etiam aliorum omnium, quocunque adpellentur nomine, vel Hamaxobiorum vel Nomadum domo carentium, vel in tentoriis viventium & pecoribus vitam tolerantium, inter quos per nomen crucifixi Iesu supplicationes & gratiarum actiones patri & fabricatori rerum omnium non fiant."

Arnobius Lib. 2. adversus Gentes scribit: "Nonne vel haec saltem fidem vobis faciunt argumenta credendi, quod jam per omnes terras in tam brevi temporis spatio immensi nominis hujus Sacramenta diffusa sunt? quod nulla jam natio est tam barbari moris, & mansuetudinem nesciens, quae non ejus amore versa molliverit asperitatem suam, & in placidos sensus assumta tranquillitate migraverit? quod tam magnis ingeniis praediti Oratores, Grammatici, Rhetores, Consulti juris ac Medici, Philosophiae etiam secreta rimantes, magisteria haec expetunt, spretis, quibus paulo ante fidebant?" Haec pariter testimonia prostant apud Irenaeum Lib. 1. adv. haereses c. 3. & Clem. Alex. Lib. 6. Strom.

Tantis Apologetis, quoad ea, quae contra infensissimos christiani nominis hostes judaeos & gentiles, ad summos Magistratus, ad Imperatores perscribere non dubitarunt, plus fidei tribuendum esse, quam Bayleo &c. quis non fatetur. Cfr. Rom. 1, 8. & 10, 18. Coloss. 1, 4. 5. 6.... 23. Certe si unus Paulus a Jerosolymis ad Illiricum usque Evangelium Christi pertulit, imo, ut existimat S. Chrys. etiam in Hispanias, quid de omnibus aliis Apostolis & tot eorum adjutoribus aestimandum est? ex cit. vero locis, ut ex Matth. 24, 14. jam ante

ante Jerofolymitanum excidium in univerfo orbe praedicatum effe Evangelium nonnulli ex SS. PP. S. Chryf. Hom. 76. Hilar. Comm. in Matth. cap. 25. probant.

§ V.

S. Evangelium nullo modo corruptum eft.

Qua ofcitantia, cujus temeritate & malitia facratum Evangelii depofitum immutatum & corruptum dicent? quo pacto tot populi & terrarum fpatio & morum ftudiorumque difciplina fejuncti, indole ac linguis prorfus diverfi, concordi pravitate in hoc facinus & in eam confenfiffent inexpiabilem fraudem, praefertim poftquam in haerefes varias, quod ftatim luctuofo Ecclefiae fato accidit, fciffa fuit respublica chriftiana? cum enim fidem Evangelio haberent omnes, nec addi, nec demi a Secta una quid potuit, quin reclamaret altera, quod opere ipfo comprobatum eft rejectis fpuriis & haereticorum pfeudoevangeliis, quae quidem redargui & confutari folebant ex ipfis voluminibus apoftolicis tum immota traditione jam ftabilitis, ac Canoni infertis, atque in diverfas jam provincias illatis, fanċteque cuftoditis. "Percurre, inquit Tertull. de Praefcript. c. 36 Edit. Commel., Ecclefias apoftolicas, apud quas ipfae adhuc cathedrae Apoftolorum fuis locis praefidentur, apud quas ipfae authenticae literae eorum recitantur, fonantes vocem & repraefentantes faciem uniuscujusque. Cfr. ibid. c. 28.

Codicem evangelicum primitus ftatim corruptum effe, minus dici poteft; nam primis Chriftianis non unius jacturae & incredibilium cruciatuum caufa exftitit: & quem delectaffet, pro defenfio-

fensione corruptae a se paginae, pro commentis, aut inanibus solum terriculamentis facultates omnes profundere, commoda vitamque ipsam sexcenta inter tormenta amittere? Convicium risu magis quam responso dignum! Ecquis legi, quam ceu divinam suscipit, & veneratur, adulterantes injicere manus stolida protervia ausit; illamque postea pari cultu prosequatur? quis in re summi momenti fraudem sibi ipsi machinatur, seque ipsum fallere tentat? fraus cuditur in alterum, imponere alteri molimur; repugnat igitur, divinam vitiare legem, eique pristinam adhuc fidem adhibere. Neque de christiani nominis hostibus id potest dici, licet enim christianas Scripturas corrumpendi prava eos subiisset voluntas, non tamen data fuit potestas; nam sacros hos codices non judaei, non ethnici, non pagani, sed Christiani sollicite, sanćteque adservarunt ceu divinum depositum, ceu unicum spei suae fundamentum, religionis ac instituendae vitae prototypon, siquos autem, certe paucos in eorum manus incidisse contigerit, integri ac illaesi permansere ceteri. Alias Christiani corpora sua potius tradebant Christi inimicis cruciańda & trucidanda, quam sacra volumina sarcasmis exponenda vel corrumpenda; & si gentiles etiam quaedam immutassent, cur ea, quae christianae religionis & formam & capita conficiunt, intacta reliquerunt? Solus Celsus christianum nomen generatim blasphemans & haereticorum flagitia Catholicis imputans corruptionis fieri solitae meminit; sed ab Origene L. 2. c. Celsum uno revincitur verbo, a nemine alio mutatum Evangelium sciri, praeterquam a Marcionis & Valentini & fortasse Luciani discipulis, quod, inquit, crimen non est Evangelii, sed eorum, qui id ausi sunt, depravare temere. Et

Quo fine commoti Christiani Scripturas suas immutarint, forsan ut Jesu C. divinitatem adstruerent? Verum si haec mens eis insederit: nonne cum Jesu miracula, vitae sanctitas, & doctrina orbi universo jam fuerint perspicua, ista tantum enarrare, vel plura hujusmodi oportuisset addere; silere vero altum debuissent tentationes, famem, sitim, persecutiones, labores, paupertatem, lacrymas, opprobria, flagella, vulnera, mortem acerbissimam & contumeliis plenam, quae singula divinitatis fidem maxima afficiunt difficultate, & tanquam auctoris Christi sublimitatem minus decentia, passim urgent increduli; sed haec omnia cum non sint deleta, nihil deletum est, nihil immutatum.

Forsan corruperunt Evangelium suum, ut legem sensibus commodam, facilem, suavemque effingerent, & pro arduis & gravibus levia, pro asperis insererent dulcia; at res ita se non habet, sunt enim in Evangeliis praecepta, recta quidem & rationi consona, sed ardua & difficilia, e. g. de inimicorum dilectione, divitiarum contemtu, de ferendis injuriis, de cruce tollenda, de abnegatione sui.

Forsan sacros libros corruperunt, ut facilior esset Evangelii propagatio; ast hac ratione iterum nonnisi creditu facilia, verisimilia, & humanis proxima juvisset instituere, mysteria autem auferre omnia, & sic hominum genio & consuetudini serviissent, ut cupiunt Sociniani & reliqui increduli; ast legimus multa ab humanis remota, rationem longe superantia, & ea, quorum insuetae hominum aures e. g. Deus unus est trinus, Deus homo, virgo Mater, Christus in stabulo jacens, & angelicis choris celebratus, a daemone tentatus,

tus, & Angelorum ministerio instructus, per omnem vitam pauper & regnum coelorum promittens, timore perculsus, at homines & elementa percellens, a patre derelictum se querens, & latroni paradisum promittens, in cruce mortem oppetens, aliosque a morte resuscitans. Minime vero Christiani ex perversa voluntate odio & invidia Evangelium corruperunt, quis enim de iis hoc affirmet, qui nunquam non illud eo cultu venerati sunt, qui divinas Scripturas decet. Neque tempus ullum factae perversionis poterunt adsignare. Forsan dicent ex temporis antiquitate libros excidisse a sinceritate! Sed cur hoc non pariter censent de Homero, Platone, Hippocrate, & vetustioribus lucubrationibus? quae tamen longaevo situ temporumque injuria non obliteratae sunt; quo ergo facto sacrata volumina attrita dicent? Si prolixioris temporis edacitas humanis non praevaluit, quomodo divinis? Si aes & ferrum ex longo situ rubiginem non sentit, quomodo aurum & pretiosissimae margaritae? Obstat assidua & indeficiens Ecclesiae vigilantia & sollicitudo non in tuenda solum scripturarum sinceritate, verum etiam in conservanda sensus veritate; tanta enimvero diligentia Christiani vera apostolica scripta observarunt, ut extranei quidquam vel ab imperito, vel pervicaci novatore nequierit adsui, quod non facile innotesceret ex celebrium Ecclesiarum auctoritate, quas Apostoli fundarunt & rexerunt, ex Conciliorum judicio, ex querelis doctorum & Rectorum, ex silentio eorum, qui ea non adlegant, quae videntur spuria & apocrypha.

§ VI.

§ VI.

Lectiones variantes veritatem evangelicam non labefactant.

Divina ſane providentia factum cenſemus, ut cum (Evangelio toties & per multos annos in remotiſſimis tot locis deſcripto) diverſarum & variantium lectionum farrago exhibeatur, ne una quidem lectio ita luxata & malehabita proferatur, quae articulum fidei aut dogma morum impugnet; cum enim divinae providentiae ac ſapientiae non placuerit, librarios donare ſingulari adſiſtentia, neque neceſſe fuerit, ut perenni quodam prodigio S. Evangelii exemplaria cuncta, quoad minima, inter ſe concordarent, non ſubeat mirari, tam annoſum codicem infinitis prope vicibus & perſaepe ab imperitis tranſcriptum, plurimas habere variantes. Retulerit itaque Millius ex N. T. MSs. a ſe collatis ejusmodi lectiones 30000, quarum numerum Kuſterus, Bengelius, Wetſteinius &c. haud parum adauxere; reſtent etiam exemplaria complura necdum viſa & perlecta, nunquam tamen evangelicam veritatem in diſcrimen adducent. Variantes rem modicam concernunt, non fidem, non mores, non facta evangelica; ſi majoris vero momenti & indaginis altioris occurrat variatio, poſt adhibita auxilia critica, traditionem, primitivae Eccleſiae Patrum lectionem Eccſia, quae eſt firmamentum veritatis, dubium ac litem nobis dirimit. Quo vero calle hic alienae communionis viri gradiantur, quam incertam ac periculoſam terant viam, quis non cernit? hinc illae lacrymae. Quam exiguae moleculae Terentius eſt! nihilominus Rich. Bentley in eodem curſim cum aliis collato 20000 variantes expiſcatus

tus est, simulque addit, in Vellejo Paterculo & Hesychio, quorum unicum restat MS., permultas adhuc reperiri falsas lectiones. Nemo his de libris ambigit, in pretio ac deliciis omnium versantur; Eccur vero S. Evangelium propterea incredulis displicet? & si unicum modo exemplar, nullo prorsus naevo, ut aiunt, infectum divina providentia aevo nostro transmisisset, an dubia & cavillos vestros hoc modo sustulisset o Bibliomachi? cum igitur factae corruptionis nec memoria, nec locus ostendi possit, nec sit credibile, nec fuerit possibile, evangelicae Scripturae sunt integrae.

§ VII.

Falsum est, historiam evangelicam statim esse refutatam, sed libros hos gentilium a Christianis esse semotos.

Nihil absurdius & falsius objiciunt, ac dum proterve effutiunt, evangelicae historiae veritatem olim refutatam esse, at vero Christianos subdola industria haec antiqua suppressisse monumenta, ne religionis suae dignosci falsitas posset; verum tam nefandas fraudes a Christianis excogitatas esse, quis in animum induxerit, ut credat? Modus Apostolorum agendi fuit candidus, scribendi stylus simplex: omnes praedicarunt Jesum & hunc crucifixum, judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: contestati sunt ubique & omnibus, Deum elegisse infirma, ut confundat fortia, & si voluissent etiam, certo nequiissent gentilium, judaeorum ac haereticorum supprimere monumenta: haud raro proprios tradere libros coacti sunt, & quomodo dominantium tyrannorum & persecutorum codices potuissent abolere, cum suos nonnunquam nequierint servare? Quas Philosophi gentiles contra christianam religionem disseminarunt calumnias, illius aevi Apologetae candide recensuerunt, & pro-

lixe accurateque everterunt. Equidem Theodosius M. Porphyrii libros flammis addixit, ast ideo factum non est, ac si invictis armis Christi fidem impetiisset, sed ob mendacia, calumnias & blasphemias, quibus impius & sacrilegus foetus scatuit; verum tum inter omnium manus jam fuerat versatus, & praecipue a Juliano impigro labore usurpatus. Cfr. Euseb. Lib. 6. Hist. eccles. c. 15., qui etiam Porphyrium refutavit, sicut & Methodius Tyrius, & Apollinaris junior, cujus opus ab Hieronymo magnopere commendatur. Celsum ab apostolico aevo non adeo remotum Origenes refellit, qui rogatus ab Ambrosio, ne quid ex Celso praeteriret, e vestigio Philosophum persequitur, id quod etiam Cyrillus fecit, ipsa Juliani verba adlegans: Justinus Tryphonem debellavit. Pauca, quae in Tacito, Suetonio & Luciano leguntur, evangelicae potius confirmandae veritati accedunt & serviunt. Miserum profecto & risu dignum conatum tantis indignum Philosophis! Documenta omni fide digna respuere sub praetextu, quod fortassis aliae exstiterint relationes contrarii testes, quin edoceri queat, qualis generis fuerint libri. Et si talia exstitissent, illa profecto judaei christianae religioni tam noxia sollicite adgregassent & conservassent omnia, cumque jam pridem toto orbe vagi sint, Christianis impossibile foret cuncta illa tollere & exscindere. Sique judaei ex illis ratione ulla Christi signa inficiari valerent, non ad Talmudicam recidissent insaniam, scil. Jesum in Aegypto didicisse magiam, vel abusum esse ad patranda signa שם המפורש: quo vero magis Sophistae gentiles scriptis, furore & armis Principes, internecino odio populus Christianos adorti sunt, eo copiosior illorum accrevit numerus, ita, ut tandem ipsi Imperatores sacro baptismatis fonte abluerentur, ex quo satis patet, nullo

nullo unquam tempore in christiana religione aliquid potuisse jure coargui.

Et haec victoria, quae vincit mundum, fides nostra certissimos nos reddit, quod juxta divina Salvatoris promissa usque ad consummationem seculi religio Christi immota sit perititura, frustra ringentibus inferorum portis. Hostilis acies, quae fere tam superbe & atrociter hodie, sicut sub Ecclesiae auspicia, illam adgreditur, aut illi se tandem subjiciet, aut virga ferrea tanquam vas figuli confringetur. Vos praecipue infelices infidelitatis praecones, filii perditionis, ethnicismi restauratores, Antichristi praecursores, inimici crucis Christi, quorum finis interitus, Coloss. 3, 18. haec fata manebunt: haereditatem Domini, quam adquisivit sanguine suo, jam devastare omni vi & dolo contenditis, ignavo ac scelesto Herostrato non absimiles, & superbo plausu conatibus vestris naturaeque dotibus hoc regnum irreligionis ampliatum tribuitis; sed brevi erit, ut haec impia protervia, hic furor vester subsidat, erit, ut posteritas nostra vos tales diffamet & condemnet, quales nunc reipsa estis. Sole clarius patebit, quod tot irreligionis proselytos vobis lucrifeceritis, non quod fortes spiritus sitis, aut rem bonam hoc seculo gesseritis, sed eo quod omnis caro corruperit viam suam, ac corrupti mores in sacris his libris damnentur; quod si profani etiam codices agerent, nunquid pari fato & rabie illos discerperetis? Deum offendimus, & vos nonnisi divinae in nos vindictae instrumenta reputamus, ac ceu deceptores per inanem fallaciam intuemur. Coll. 2.

§ VIII.

Quatuor tantum sunt Evangelia.

S. Lucas prooemio utens, quod ceteri Evangelistae non faciunt, narrat plures Scriptores res ab

origine christianae religionis gestas literis consignasse. Cfr. Eus. hist. eccl. L. 3. c. 24. nihilominus quatuor tantum genuina Evangelia, nempe S. Matthaei, S. Marci, S. Lucae, S. Joannis sola ab Apostolis probata & ab insignibus Ecclesiis recepta sunt: Testimonium iis praebet jugis Patrum latinorum & graecorum consensus, antiquissimae plurimarum in Oriente & Occidente gentium versiones, omnes editiones per mille & trecentos annos diversissimis in regionibus manuscriptae & ubivis nunc impressae: demonstrat antiquissimus Ecclesiae Canon a primis seculis ad nostrum usque aevum susceptus, quem Ecclesia graeca licet schismatica & Heterodoxi nobiscum admittunt: cetera oblivioni tradita sunt & neglecta, de quibus Cl. Fabricius in lib. Codex apocryphus N. T. &c. tractat. Sed spuria haec & falsa Evangelia longe post scriptum S. Lucae Evangelium procusa videntur, quibus impostores, Platonicae Philosophiae sectatores ac haeretici ex superbia ad fabulas conversi, christiana dogmata philosophiae suae placitis adcommodare ausi sunt: ita salutis humanae hostis nihil n[illegible] peregit, ut evangelicae veritatis lumen narrationum contrariarum nebulis obfuscaretur, ac si fieri posset eriperetur. Etiam, quod admirationi esse debet, viri alias pii, sed imprudentes ex heteroclito zelo pessime id sibi sumserunt, ut libros, quos Ecclesiae utiles rati sunt, dispergerent ementito Theopneustorum nomine, quo facilius paganos & incredulos ad se pertraherent, sed plus incommodi rei christianae intulerunt id genus libri, in quibus vera cum paradoxis & fabulosis erant commixta; ex iisdem enim ansam cepere Libanii, Juliani, Celsi, Porphyrii, Hierocles &c. jurati christiani nominis hostes, ut contra genuinos & authenticos Ss. Script. libros desaevirent.

CA-

Caput I.

In beata plenitudine temporis aeterno consilio praefinita, & a SS. Prophetis praenuntiata Jesus Christus ante legem promissus, & legis tempore declaratus advenit, in alvo Virginis homo factus. In hoc omnia, quae scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis & psalmis, vere completa. Secundum carnem a Majoribus Abraham &c. & David descendit, post dies octo circumcisus est, & a Magis adoratus.

§ I.

Divini Messiae characteres.

Quam diserte Messiae characteres & insignia SS. Lit. eloquuntur? claram de iis ideam universae Judaeorum nationi ad oculum lucere, quis controvertat? Praenuntiatur Deus & homo, Dominus simul & servus, Rex & subditus, Sacerdos & victima, morti obnoxius, ejusdemque victor, dives & potens, sed vir quoque dolorum, obtectus humilitatis & infirmitatis nostrae exuviis. Haec ad speciem repugnantia facili opera in Jesu C. conciliantur; sed grex Recutitorum crassus & rudis, cum propagatae Ecclesiae felicitatem (exterminata idololatria, & gente sua extorri) aspiceret, & impletam in Jesu Nazareno oraculorum verita-

tem non poſſet non agnoſcere, ex invidia, malitia, & ſervitutis exilioque impatientia id deſperati conſilii cepit, ut Prophetarum vaticinia ex arbitratu ſuo detorqueret, litem de verborum litera moveret, quam plurimis fabellis & blaſphemiis ſanctiſſimam Jeſu vitam obſcuraret & maledictis impeteret, inauditam a SS. Prophetis de Meſſia ideam formaret, ab Atavorum ſuorum & Targumiſtarum fide & ſententia omnino alienam, & tandem Meſſiam aliquem priſtinae libertatis & regiae ſuper Monarchas omnes excellentiae aſſertorem pertinacibus aſt inanibus exſpectaret ſuſpiriis. Art. XII. Symb. Fidei profitentur אמבש בביאה המשיח ואף על פי שיתמהמה אפילו הכי אחכה לו בכל יום שיבוא: Ego credo fide perfecta adventum Meſſiae, & etiamſi retardet, nihilominus ſemper exſpectabo, donec veniat. Majores autem illorum evidentibus SS. Vatum teſtimoniis convicti, & propria longioris exilii conſcientia ſtatuerunt in Maſſ. Sanhed. c. ult. כלו כל הקיצין ואין הדבר תלוי אלא בתשובה ומעשים טובים: completi ſunt omnes termini (adventus Meſſiae) totumque negotium (liberationis) non amplius jam dependet, niſi a poenitentia & bonis operibus; cui tamen edicto complures iterum adverſantur. Alii dicunt, Meſſiam jam pridem adventaſſe, & Romae leproſis aegrotisque miſerum adſidere. Multi duos exſpectant Meſſias, unum filium Joſeph, alterum Davidis: plerique Meſſiae adventum hodie inter adiaphora cenſent. Alii dubitant, an ullo aevo ſit adventurus, quod ſola, ut decernunt, nutante & fors confiсta paradoſi promiſſio illius ac exſpectatio nitatur: proh miſeros Verpos! quanti contradictionum ſcopuli! & cum tandem, qua elabantur, viam neſciant, omni cura ſuis vetant, ne venturi Meſſiae tempus calculo ſub-

ſubducant, illisque, qui tempora haec ſupputant, exitium ac infauſta precantur omnia. Cfr. c. ult. י׳ חזקה ubi R. Joachan ilia iis rumpi, male vovet. Obtuſi ſunt ſenſus eorum uſque in hodiernum diem, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum. 2. Cor. 3, 14. 15.

Summi profecto momenti res eſt, omnia illa, quae Jeſus C. fecit, docuit, perpeſſus eſt, & ſanguine ſuo adquiſivit, tot ante ſeculis in V. T. paginis accurate fuiſſe deſcripta, & exacte in N. T. completa: & quis Theiſta adeo deſipiet, aut tam infandum protervus erit, ut oracula haec poſt evangelicam hiſtoriam modo fuiſſe concinnata, blaſphemare auſit? Praedicitur Chriſti nativitas ex Virgine Iſa. 7, 14. Cfr. Gen. 3, 15. Jer. 31, 22. Matth. 1, 19 — 23. Origo ex ſtemmate Abraham, Iſaac, Jacob, Juda, David. Gen. 21, 12. 22, 18. 49, 9. 10. 2. Reg. 7, 12. Pſ. Hebr. 132, 11. Jer. 23, 5. Cfr. Matth. 1, 1 — 17. Luc. 3, 23 — 34. Luc. 3, 23 — 34. Rom. 9, 5. Joan. 7, 42. Rom. 1, 3. 4, 2. Tim. 2, 8. Locus natalis in Bethlehem Mich. 5, 1. Cfr. Matth. 2, 3. 6. Joan. 7, 42. & tunc quidem, cum temporis tam exoptati ſigna cuncta erunt impleta, ita ut recte plenitudo temporis inſigniatur Gal. 4, 4. Eph. 1, 10. Cfr. Deut. 30, 5. Zach. 2. 8. Hebdomades Danielis Dan. 9, 24. 45. paulatim ad finem vergebant: Tribus Juda Gen. 49, 10 adhuc erat ſuperſtes, cui Benjamin, Sacerdotes & Levitae Babylone reduces & nonnulli ex Iſraelitis apud Aſſyrios & Perſas diſperſis fuerant inſerti: Templum a Zorobabel conditum Agg. 2, 20. Malach. 3, 1. adhucdum ſtetit: etiam Joannem Bapt. a S. Elia praeſignatum habuit praecurſorem ſuum. Malach. 3, 1. 4. 5. Cfr. Iſa. 40, 3. 5. Matth. 3, 3. 11. 14. Marc. 1, 3. Luc. 1, 17.

Si Jesu C. vitam intueamur, Prophetiarum omnium luculentissima videmus complementa. Natus fugere in Aegyptum compulsus est Oseae 11, 1, Cfr. Matth 2, 15. Officium praedicandi Evangelii exorsus est in Galilaea Isa. 9, 1. 2. Cfr. Matth. 4, 13. 16. & doctrinam suam jugi prodigiorum operatione stabilivit. Isa. 35, 1. 5. Cfr. Matth. 21, 11.

Si mortem consideremus: ab amico proditus est. Psal. 41, 10. 55, 14. Cfr. Joan. 13, 18. & triginta argenteis venditus, Zach. 11, 12. 13. Cfr. Matth. 26. 14 — 16 qui domui Domini sunt illati, & solvendo agro figuli erogati. Zach. 11, 13. Cfr. Matth. 27, 5 — 10. Proditor tremendo judicio interiit, ejusque episcopatum alter accepit. Psal. 69. 26. 109, 8. Cfr. Matth. 27. 5. Act. 1. 16 — 26. Post agonem in Gethsemane Psal. 22, 7 — 18. 69, 2, 4. 11. 88, 14 — 19. Isa. 53, 11. Cfr. Matth. 26, 36 — 45. atrocissimas injurias, opprobria & flagella sustinuit, Isa. 50, 6. 53, 2. 3. ita ut latronibus quoque accenseretur. Isa. 53, 12. Matth. 27, 15 — 23. Act. 3, 14. quibuscum cruci adfixus est, Psal. 22, 17. Deut. 21, 23. Cfr. Gal. 3, 13. & ita pendens contumeliis appetitus. Psal. 22, 8. 9. 69, 20, 21. Matth. 27, 39. 44 Vestes ejus per sortes dispertitae, Psal. 22, 19. Matth. 27, 35. huic acerbae crucis perpessioni immoritur, quin ejus crura frangerentur. Isa. 53, 8. Dan. 9, 26. Cfr. Exod. 12, 46. Psal. 34, 21. Joan. 19, 32 — 36. Postea tumulo novo illatus est. Isa. 53, 9. Matth. 27, 57 — 60.

In sepulchro non perseveravit, sed die tertio incorruptus surrexit a mortuis. Psal. 16, 10. 21, 5. 118, 17 18. 22. 23. Isa. 53, 8. Ose. 6, 2. Jon. 1, 17. Matth 23, 1 — 10. Act. 1, 3. 2, 22 — 36. 3, 14. 15. 26. 4, 10. 12. Rom. 1, 3. 4. 4, 25. 6, 2 — 11. 1. Cor. 15, 1 — 23. Coloss. 2, 11. 12. 2. Tim. 2, 8. Apoc.

Apoc. 1, 17. 18. 2, 8. Postea ascendit ad coelos, Psal. 47, 6 68, 19. Cfr. Act. 1, 9 — 11. 2, 33 — 36. 5, 31. ubi ad dexteram Patris seder, Psal. 110, 1. Act. 7, 55. Colost. 3, 1. Hebr. 1, 3. 8, 1. atque Ecclesiam suam regit modo a SS. Propheris praedicto. Psal. 110, 2. Isa. 2. 2. 3. Matth. 4, 1. 2. Joel 3, 1 — 5. Act. 2, 16 — 21.

Ex his divinae oeconomiae ratio inclarescit & methodus, quomodo Evangelii mysteria primitus sint tradita. Summo scil. coeli consilio visum est, in Evangelii revelatione gradus, non saltus facere. Olim res in V. T. nonnisi per subobscura de Semine mulieris & venturo Schilo vaticinia primis innotuere seculis; postea vero per multifarios Judaeorum ritus & sacra paulo clarius expressiusque tradebantur. Cum autem paedagogia illa rudiores hominum animos diu exercuisset, regni coelestis mysteria per luculentiora Isaiae, Jeremiae, Danielis aliorumque SS. Vatum oracula pene visenda & tractanda nonnunquam proponi cepere; ast his claritatem quam maximam impertiere evangelicae historiae, & sermones Domini ad Judaeorum coetum habiti, quibus velum multis de Deo, de legis sensu doctrinis obductum detrahebatur; nihilominus multa Jesus doctrinae suae praecepta parabolis involvit, multa de regno suo locis & temporibus magis opportunis enuntianda reservavit; cum autem plenitudo temporis advenisset, Dominus emisit spiritum, qui velum de Mosis ac Prophetarum sustulit facie, Christi parabolas illustravit, regnique mysteria verbis luce clarioribus Apostolorum ministerio condocuit.

§ II.

Respondetur revelati verbi illusoribus, aliisque Theistis.

Ad haec superbus Theista quid oggeret, qui naturam ejusque vires tantopere celebrat & exaltat; divinam vero revelationem illique nixam Christi fidem aspernatur? An horum omnium eventum modo post lapsas tot annorum periodos inficiabitur? quorum historiam judaei & gentiles, dum praedicari ubique cepit, ac in recenti memoria adhuc versabatur, edictis quidem suis ac saevis persecutionibus impedire & opprimere laborarunt, at negare nunquam ausi sunt. Forsan haec oracula postmodum conscripta sunt, & populo malecredulo supposita? sed quando id factum est, quo auctore, cujus auctoritate & dolo haec stropha accidit? quo astu & vi haec in omnia Hebraeorum volumina biblica intrusa sunt? Cur Judaei, quibus V. T. depositum erat concreditum, tam perniciosum synagogae dolum non adverterunt, & detecto illo evangelicae doctrinae semina in primo germine suffocarunt? forsan exactis toties centenis annis haec fraus primum hominibus aevo nostro perspicacioribus suboluit, quin prisci & coaevi venirent in notitiam? Unde vero factum est, ut haec oracula eadem, illorum notitia, allegatio & usus idem apud veteres & hodiernos Judaeos obtinerent, ex quibus illi ante Jesu adventum & hoc jam nato ad vaticiniorum similium normam Messiam exspectarunt? quo fato hae Prophetiae in antiquissimas jam translationes ante aeram Christi concinnatas irrepserunt?

Alii Theistae, ut rationi soli litare & V. ac N. foederis revelationem suffodere omnem possint, divi-

divinam oraculorum negant originem; verum num a principio ad finem usque talia praesentire quis valuit, nisi solum omniscium Numen? An idem Numen causarum omnium cursum praenoscens & comprehendens ea inspirarit, ad fundandam religionem, quae in se tamen labili tantum nitatur fundamento, & quae adiaphora ac indifferens videri possit? Profecto Judaei perfidi, & gentiles idololatrae digniorem atque sublimiorem de propheriis notionem obtinent. Cfr. S. Hier. in Daniel. Orig. c. Celsum Lib. 7. Jamblych. de Myst. Aegypt. sect. 3. Senec. de Benef. Lib. 4. c. 32. Maim. praef. in Misch. Quis non aperte cernit, majorem Theistae malitiam esse ac coecitatem, quam Judaei pertinaciter carnali sua de Messia spe abrepti, & recto rationis usu privati; dum e contra Theista sapere super omnes gloriatur, & scientiis philosophicis adflatus, nihilominus rationi clarae repugnat, dum Evangelica testimonia eludit, & legis mysteria Messiam spectantia ceu similitudines coactas, & phantasiae lusus satyris impugnat? Rem illorum pessimam ac deploratam via, qua gradiuntur, incurva & manifestae simulationes pandunt, ne palam hostes biblicae veritatis V. & N. foederis habeantur, quales reipsa sunt. Patet id hodie in multis DD. Protestantium Doctoribus, qui tametsi e cuniculis & aperto marte pragmatica christianae fidei mysteria in libris suis symbolicis proposita & commendata (contra juramenti religionem) oppugnant, & praeter tres imperii religiones quartam erigere audent, ex colluvie Arianorum, Pelagianorum, Socinianorum, Arminianorum mistum chaos, affabre tamen hujus simulationis artificium callent, & tractant, ut scilicet videri possint orthodoxi, ne publicis officiis excidant & honoribus. Quis non miratur contro-

ver-

versias D. Prof. Bassedowium inter & Semlerum? quis tulerit gracchos de seditione querentes?

Quantum vero dispendii penes multos horum opinandi licentia christianae fidei importet, nemo ignorabit, si perpendat, quantopere passim V. T. vilipendant, ita ut necessario vaticinia cuncta ruant, quae magni tamen fecere Judaei, atque Jesus C. & Apostoli citant. Verbum divinum a SS. Scripturis discernunt, sed eo usque, ut divina origo Ss. Literarum in discrimen adducatur. Juxta illos incertum manet, num S. Evangelistae & Theopneusti ceteri veritatem ubivis loquantur. Imo Christus aeterna sapientia & veritas ejusque Apostoli Judaeorum praeconceptis ideis abusi sunt, ut eo velocius & felicius ad propagandi Evangelii metam pertingerent. Juxta Semlerum in Libello: *Beantwortung der Fragmente eines Ungenannten, ins besondere von dem Zwecke Jesu und seiner Jünger:* doctrinam de Sanctissima Trinitate, nec a Christo, nec Apostolis traditam, sed a Judaeis ex graecis & chaldaicis translationibus suis haustam, nec ethnicis incognitam perinde ad normam Arii, Sabellii & Photini licet proponere, quia in fidem, vitaeque mores non influit. Ita etiam D. Bahrdtius dictat in Prof. Fid. — Prophetarum oracula omnia in N. foedere citata merae adcommodationes sunt, veterum Judaeorum hermeneuticae conformes, quae, sicut & miracula nihil nos juvant. — Literalem de Jesu historiam praeprimis ad carnales spectare homines censet, imo quatuor Ecclesiae Evangeliis praeexstitisse aliud scriptum longe purius, & nonnisi spirituale putat, & hoc Marcioni adscribit, aliisque Gnosticis. Insipientia, injusta, impia dicteria! summi momenti veritates ita exsufflare, ex quibus tamen sempiterna salus & omnia dependent.

Inse-

Infelices igitur, qui aurem talibus Reformatoribus praebetis! nam postquam veram animi quietem, spem & fiduciam, quibus in vita & morte nihil jucundius, vobis abstulerint, protervа tantum sentiendi libidine, satyris & cavillis in vestram vos perniciem obarmabunt, itaque hujus & alterius vitae felicitate privabunt.

Tandem ex Theistis non pauci inter cachinnos tot S. Script. anthropopatheias intuentur, quibus in sermone sacro (remota prius omni imperfectione) Deus quasi descendit ad nos, & propter captus nostri imbecillitatem nobiscum velut balbutire & blandius humilinsque, quam Majestati tantae convenit, colloqui non dedignatur. Ergone Medici prudentia & charitas ab aequo arbitro erroris insimulari potest, si pharmacis aegroti naturae miseroque statui convenientibus medeatur? Certe revelationis hostes naturam humanam sauciam esse, infirmam & corruptam nequeunt inficiari, etsi, cum SS. Literas rejiciant, verum tantae miseriae fontem detegere cum priscis ethnicis ignorent. Indignantur alii, quod omnes revelati verbi praecones viri Orientis fuerint, verum cum Oriens prae aliis terrae plagis primos habuerit incolas, qui initio statim revelatione indiguere, divinam etiam decuit sapientiam & providentiam, ut gratiam hanc ibidem inceptam prosequeretur, & ad gentes ceteras, quae suo modo ab iisdem genearchis ortum trahunt, propagaret. Et cum Deus noster operari salutem in medio terrae voluerit, Cfr. Psal. 73, 12. decuit, ut sol iste revelationis ab alto illic oriretur, ubi radii toto terrarum orbe facilius possent diffundi: congruas rationes alias praetermitto, & si adlegari plane nulla posset, quid tum? non hic disquirendum est, quid omnipotentia potuerit, sed quid infinitae sapientiae placuerit. § III.

§ III.

Genealogia Chrifti.

Ab initio facrae genealogiae ob Salvatoris ortum & SS. Prophetarum oracula ingens neceffitas fuit & utilitas, nec hodie plane deeft, imo a facra hiftoria & chronologia nullo modo fejungi poteft, nec ut Edelmann delirat, S. Paulus 1. Tim. 1, 4. Tit. 3, 9. & alibi illam rejicit, cur ergo genealogias V. & N. T. ex facris paginis fummatim ceu fuperfluas hodie evulfas cupitis Bibliomachi? Dum Jefu C. ftirpem SS. Matthaeus & Lucas diverfa ratione contexunt, ut olim, ita & nunc profeffi chriftianae religionis hoftes SS. Evangeliftas inter fe difcordare, ac in re modica lapfos effe putant. Illa conciliandi ratio placet, quae ftatuit, S. Matthaeum Judaeis perfcribentem S. Jofephi progenitores, S. Lucam vero ad gentes exarantem Deiparae ftirpem recenfuiffe. S. Matthaeus pro triplici ufque ad Chriftum ftatu: fcil. ab Abraham Patriarcharum & Judicum, a David ufque ad captivitatem Babelicam Regum, & ab hac Ducum & Sacerdotum concinne tres pofuit tefferadecades.

I.		II.		III.	
Abraham	Aminadab	Salomo	Joatham	Jechonias	Achim
Ifaac	Naafon	Roboam	Achaz	יהויכין	Eliud
Jacob	Salmon	Abia	Ezechias	Salathiel	Eleazar
Juda	Booz	Afa	Manaffes	Zorobabel	Mathan
Phares	Obed	Jofaphat	Amon	Abiud	Jacob
Esron	Jeffe	Joram	Jofias	Eliacim	Jofeph
Aram	David	Ozias	Jechonias	Azor	Jefus.
			יהויקים	Sadoc	

Hac

Hac de causa tres Reges Ochoziam, Joam & Amaziam, praecipue, quia Joram impiae Jezabel maledicto stemmati se admiscuit, praetermissos esse S. Hieronymus adserit in C. 1. Matth. Sunt, qui Ochoziam ceu filium tantum adoptivum cum Joas & Amazia ad J. C. genealogiam nequaquam pertinere censent, quae quidem haud spernenda hypothesis tamen patitur difficultatem. Cfr. Dis. in 1. & 2. c. Matth. 1782 a me editam.

Si sancti Evangelistae in his descriptionibus, velut objiciunt, jam aberrassent, apud Hebraeos illico fidem omnem discrimini objecissent; nam iisdem illustrium familiarum stemmata erant notissima, atque talismodi ignorantia aut deceptio ex libris Regum & Paralip., quinimo Judaeorum tabulis potuisset statim confutari. Et si ipsum S. Matthaei exordium jam fefellisset, annon de veritate evangelica statim fuisset conclamatum? Teste Josepho Lib. c. Apion. diligentissime tum adservata fuerunt familiarum monumenta, & quamvis, ut Euseb. Lib. 1. Hist. c. 7. refert, tabulariis, quibus haec monumenta concredita, flammas Herodes injecerit, partim ne Idumaeus dici posset, partim ut pro suo arbitratu, quem vellet, summo admoveret Sacerdotio; attamen ex Africano idem addit Eusebius, nonnullos antiquitatum studiosos fuisse, qui avitae stirpis seriem & nomina vel memoria tenentes, vel ex scriptis annalibus promentes, privatos sibi conficerent indices, quos inter erant ii, qui ex generis cum Christo cognatione nuncupati sunt Δεσποσυνοι.

§. IV.

Christus circumciditur.

Jesus praecepto circumcisionis non subditus, obedientiae tamen & humilitatis lucere exemplo vo-

voluit, qui legem solvere non venit, sed adimplere, & sicut de muliere nasci, ita fieri sub lege Gal. 4, 4. dignatus est legis Auctor ac Dominus, Sanctus sanctorum, Agnus sine macula, Ponti x impollutus & a peccatoribus segregatus. Mysterii hujus causas plures copiosius exponit S. Epiphan. Haeres. 30. n. 28. Statim atque Jesus vocatur, Salvatoris officium exercet, sanguinis sui pro nobis offerens primitias. Ad par humilitatis exemplum legem Levit. 12. purissima Virgo Mater subiit, neve divinum conceptionis & partus mysterium ignorantes paterentur offensam, sicque duabus paruit legibus, uni de purificatione puerperae, alteri de praesentatione Unigeniti in templo, ejusque redemtione.

§ V.

Christus a Magis adoratur.

In ortu Domini summa imis quasi permixta dici possunt: non potuerunt Jesu cunae esse obscuriores simul & clariores. Jacet quidem foenum inter & paleas in praesepi, sed gloria maxima splendet; non tantum in angulo Judaeae ab Angelis celebratur, a pastoribus invisitur, sed etiam stella nova in coelo radiante in remotissimis praedicatur regionibus, ut a Magis adoraretur, quod contingere nequiit, quin rumor tantae rei multorum impleret aures, & ita natum Dominum ubique personaret. Magos (arabico-persice ita vocatos) sive Sophos astronomiae, scrutandisque rerum caussis & divinarum virtutum contemplationi, teste Philone, addictos, cfr. Cic. de Divin. Lib. 1. Porphyr. de Abstin. lib. 4. Dio Chrys. orat. 36. Suid. Lexic., ante Virginis purificationem advenisse.

veri-

verisimile a multis habetur. An Reges fuerint, oppido incertum est; sicut & alia quaedam, quae Spiritus sanctus voluit nos latere: certe tam sublimem dignitatem illam S. Matthaeus silentio non praeteriisset. Nihil in Evangelio eorum comitatum aut adparatum, quo excepti sunt ab Herode, regio diademate dignum ostendit, imo exigua hujus in illos observantia suadet contrarium. Et si sceptro inclaruissent, Herodes suspicionum semper plenus ac omnia tuta timens certe passus non fuisset, ignotos Reges in ditionem suam irrumpere: Viri ergo erant scientia potius quam diademate inclyti; ast evinci nequit, omni dignitate illos caruisse; nam Herodotus & Xenophon &c. meminere, Magos in Perside a Regum fuisse consiliis ac praecipuos administros, ex quorum etiam numero aliqui imperarint: male igitur putantur Magi iis similes, de quibus Act. 8, 9. 13, 8. male inquam in Evangelio a Münstero hebraice edito vocantur מכשפים praestigiatores. Praeter divinum hic adflatum etiam vaticinium Danielis de Rege Messia & ejusdem regno Dan. 2, 44. haud dubie certa quadam paradosi potuerunt accipere, siquidem Daniel etiam in Perside exstiterit. Praeterea iisdem in regionibus permulti habitabant Judaei, vaticinii illius & Hebdomadum LXX fere elapsarum probe conscii, ex quo fama percrebuit, ex Judaea proventurum mundi Dominatorem. Cfr. Sueton. in Vespas. c. 4. Tacit. Lib. 5. Hist. c. 13. Cic. Lib. 2. de Divin. c. 54. Virgil. Eclog. 4. Joseph. Lib. 7. de bello jud. c. 12. SS PP. Balaami vaticinium de stella ex Jacob illos resciisse putant, hancque notitiam aut traditione, aut a Judaeis post Babelici exilii finem per omnes persicae Monarchiae provincias diffusis Esth. 3, 8. 13. 8, 17.

 adqui-

adquirere potuerunt. Jerosolymam perrexere, quae regni & religionis caput; existimabant enim tanti principis nativitatem non illos posse latere, qui hunc a tot seculis expetiere. Judaei ergo facti sunt inexcusabiles, qui non poterant ignorare, quod gentiles homines sapientia spectabiles primo in Judaeae Metropoli, d inde in ipsa Herodis aula adnuntiarunt. Non Herodes solum animo conturbatus est, sed tota etiam Civitas hoc ex rumore attonita haesit. Quaerit impia satyra Collinsius, cur etiam Cives commoti sint; cum tamen exspectatus tam diu Messias natus sit? Verum bene noverunt genium Herodis ejusque caracterem: teste Joseph. Lib. 1. de bello jud. c. 19. timore pavidus erat, & ad omnes suspiciones excitabatur, multosque innocentes metu, ne quem nocentium praetermitteret, in tormenta dedit. Et Lib. 17. Antiqq. c. 12. Judaeorum ad Caesarem legatos sic loquentes adducit: Non aliter ipsis praefuisse Herodem, quam si saevissimae bestiae in eos commissum fuisset imperium; itaque cum multis olim ea gens oppressa sit cladibus, nullum tamen exstare in rerum monumentis exemplum, cum quo conferri possit praesens per Herodem illata calamitas. Ex hac igitur fama nonnisi plena furoris & truculentiae facinora quilibet expavit, ac moestissimas temporis acerbitates; nam Herodes brevi ante filios Aristobulum & Alexandrum occidit, plures Pharisaeos, Assamonaeos & domesticos trucidavit ob propalatum quoddam vaticinium, in vices Herodis alium principem ex Pherorae familia a Deo designatum esse; & non abs re sibi timuere, cum plurimi Messiam ceu temporalem Principem suspicerent, & Herodis Romanis tam addicti regimen essent omnino perosi; & hic pavor haud dubie

etiam

etiam causa fuit, cur nemo Magos Messiam inquirentes ad horas duas comitaretur, rem tanti momenti exploraret, aut verba de illo faceret. Dum vero Herodes, qui clam Magos vocavit, & ita dimisit, nec comes esse voluit, nec ex proceribus ullum designavit, astuto jam pectore crudelia consilia videtur gessisse, ne forte ex suo, suorumque aditu parentes Jesu formidinem aut suspicionem conciperent, & ita rem celarent, quam facilius viris peregrinis sine timore essent propalaturi. Sed quid multis? Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum, qui puerum Jesum a sanguinolento tyranni furore voluit ereptum.

§ VI.

Fuga in Aegyptum.

Matth. 2, 13. Angelus Dei praedicit Christi exilium & hujus finem. Promittit quidem reditum ex Aegypto in Canaan, sed non praenotatur tempus exilii terminandi ac repetendae patriae: Christus ut Deus non subest temporum limitibus, neque inclusus est locorum terminis: ut homo non habuit domicilium proprium, ubique peregrinus in terris fuit, ubique exul. Ex isto Angeli silentio Josephi tutoris fides & obedientia exploranda fuit, ut olim Abrahae. Huic Deus praecepit iter in terram ignotam, illi in terram quidem certam, sed ad tempus incertum. Haec narratio de Christo in Aegyptum fugiente fidem nostram confirmat, qua docemur, Jesum esse promissum Messiam, ejusque caracteres in scriptis propheticis esse depictos, & accuratissime in persona Christi impletos Ose. 11, 1. Quae contra hoc oraculum objici solent, alias jam refutavi. Differt. in C. 1. & 2. Matth.

Caput II.

Fuit homo missus a Deo Joannes Baptista praecursor Domini, ut testimonium perhiberet de Jesu Christo. Dominus quadraginta dies in deserto commorans jejunat & tentatur: postea cepit praedicare & docere: doctrina haec sanctissima saepe parabolis distincta.

§ I.

A Jesu adbuc infante increduli cum Judaeis miracula flagitant.

Jesus C. ad annum usque trigesimum, quae aetas Sacerdotis, Doctoris & Prophetae functionibus idonea, & ex more Judaeorum fuit requisita, selegit latere, & ad augustissima Messiae munera hoc in silentio sese praeparavit, precibus interea, perpetua aeterni Patris adoratione, officiis erga parentes, quibus erat subditus, occupatus: non placet hic recurrere ad Evangelium infantiae, ex quo certi nihil efficitur; Increduli vero vehementer delirant & errant, qui cum Judaeis in ספר נצחון inique decernunt & postulant, oportuisse Jesum ex utero progressum statim prodigia edere, ut sic orbis universus in ipsum credens judicii reatum evitasset. Quam stulta hominum, qui supra omnes sapere, ac aeternae sapientiae agendi modum praescribere gestiunt, cogitatio, quam improba postulatio? Respondendum esset hic stultis juxta stultitiam suam, ne sibi sapientes esse videantur, sed enim an responso ullo digni sunt?

Nonne

Nonne nativitas ejus & vitae primordia divinis jam miraculis sat coruscarunt, quae ut Deus operatus est; ut Homo vero consideratus necdum magni Prophetae & Angeli Testamenti partes egit, quem ergo in finem tum signis & portentis fuerat opus? Concives ejus & vicini incolae non conversi sunt ad ea, quae aetate adultior & de coelo jam confirmatus peregit, Matth, 16, 1. Pharisaei & Sadducaei post miracula plura adhuc increduli, & calumniae occasionem quaerentes signum de coelo petierunt, quo divina ejus missio & auctoritas comprobaretur; & quam parum nihilque prodigia ab infante patrata indociles & incredulos praeparassent aut commovissent animos? Verendum potius erat, ne Jesus ante ostensionis & praedicationis auspicia e medio tolleretur. Recte inquit D. Christ. Brünings Lib. de silentio S. Script. can. XVI. pag 69.: "Vitae Christi privatae circumstantiae exceptis paucis, quae Matth. 2. Marc. 6. Luc. 2. leguntur, silentio involutae latent. Si statuas silentii scopum esse hinc scandala infirmorum, illinc hostium scommata declinanda, annon convenit hic finis cum scopo Scripturae? Annon ita consulitur saluti humanae? Annon idem convenit cum bonitate, veritate & sapientia Auctoris? Bonitatis est, parcere debilibus. Idem poscit quoque veritas promissionibus inhaerens Isa. 42, 3. Matth. 12, 20, 18, 6. Sapientiae est, hostibus ansam & materiem contemtus negare, quantum licet. Quod Nazarethanis nocuit, ne aliis quoque noceret, providit Deus. Nazarethanos non potuit latere vita Christi privata, alios potest; & Deo ita volente debet latere. Dubito igitur, an eodem regantur spiritur, Apostolos & Evangelistas vitam Christi delineantes qui rexit, illi, qui

tam accurate & operose singularia vitae Christi privatae exponunt, ac si Nazarethae cives fuissent."

§ II.
S. Joannes Baptista Christi Praecursor.

Allapso tandem ministerii initio, prius in publicum S. Joannes Baptista prodiit, antea itidem cognitus, qui in deserto Judaeae circa Jordanem in extrema parte Ennon & Salim haud procul Jerichunte praedicandi & baptizandi munere functus est: spiritu & virtute erat Elias, ab Isaia vox clamantis in deserto, a Malachia Angelus praedictus, & hoc major inter Prophetas nemo surrexit. Tanti viri sanctitas, & admirabilis vitae ab omnibus commodis abstemiae ratio, officium baptizandi mox exspectationem dubiumque populo injecit, num forte ipse esset Christus; sed Joannes Legatis respondit, se aqua tantum lustrare, fortiorem autem venturum baptismi virtute, longeque majorem dignitate, efficacia doctrinae, sanctitate, miraculis, novae legis & regni spiritualis duratione, divinaque omnipotentia. Haec aliaque sancti Praecursoris de Jesu C. testimonia si cum illius caractere conferantur, invicta esse soli controvertunt christianae religionis hostes, quibus sancti Joannis aspera vita, paraeneses, minae, & consilia ceu ingratae veritates displicent. Adparentes hic antilogias composuimus speciali dis. in Malach. 3, 1. Anno 1780.

§ III.
Vincula S. Joannis Baptistae.

Plerique hactenus Interpretes S. Joannem semel tantum ad vincula raptum opinabantur, & quidem ob

ob inceſtas Herodis, quas S. Praecurſor reprehenderat nuptias; aſt Matth. 4, 12 non obſcure lucet, quod etiam a Synedrio ex Sadducaeis & Phariſaeis cfr Act. 23, 6 infenſiſſimis Jeſu & Baptiſtae hoſtibus conflato in carcerem ſit conjectus, ob uſurpatum baptiſmi miniſterium. Cfr. Joan. 1, 25. Hoc modo ſub ementito juſtitiae zelo S. Joannem cuſtodiae manciparunt, quo die tertium de Meſſia teſtimonium perhibuit, idque ſub veſperum, quando minor erat populi confluxus.

Similem in Apoſtolos violentiam exercuere Act. 4, 1--3. Et quis ambigat, quin idem contra talem virum a Deo miſſum egerint, cum Phariſaeos Deo, ut videri volebant, charos aſpernaretur, & baptizandi munus, quod ſolis competebat Prophetis, qualis ex propria confeſſione non erat, ſibi capeſſiverit.

Phariſaeorum arrogantiam, aſtutiam, authoritatem, perduellionem &c. plane deſcribit F. Joſeph Lib. 17. Antiqq. c. 3. & L. 18. 2. ex quo veriſimile fluit, quod illos S. Praecurſor haud impune offenderit. Cfr. Matth. 17, 12. ubi Chriſtus adfirmat: "Fecerunt in eo, quaecunque voluerunt, ſic & filius hominis paſſurus eſt ab eis:" Si vero Synedrii proceres non incluſerint Joannem; quid ab iisdem paſſus eſt? Haud alio fine ſolennis legatio Sacerdotum & Levitarum a ſupremo Concilio fuit demandata, niſi ut via hac Phariſaei de Joanne, quem odio perſequebantur, ſub ſpecioſo religionis titulo caperent vindictam.

Ad haec ſi Chriſti ſeceſſum Matth. 4, 12. attentius perſpiciamus, vincula Herodiana nequeunt intelligi. Cum enim audiſſet Jeſus, quod Joannes traditus eſſet, ſeceſſit in Galilaeam; namque hoc ſeceſſu periculum voluit declinare, quod Praecur-

forem fuum comperit jam incurriffe; at vero tutius fuiffet, manere in Judaea, quam fugere in Galilaeam, Herodis ditionem. Chriftus quidem nulla, ut Joannes reprehenfione offenderat Herodem, in ejus tamen regione degere, non omni vacabat difcrimine, velut fat elucet, dum intellecta Praecurforis decollatione ftatim fe cum difcipulis fuis Jefus in locum defertum feorfum recepit. Cfr. Matth. 14, 13. Quod igitur verbo docuit Matth. 10, 23., exemplo hic firmavit, & ante paffionis fuae tempus Pharifaeorum odio fe fubduxit.

Quod vero Joan. 3, 23. Joannes iterum libere dicatur baptizare, quem ante pafcha cuftodiae traditum reputamus, hanc fententiam non infringit; verifimile eft, S. Baptiftae accidiffe, quod vinctis evenit Apoftolis. Haud dubie populus, qui S. Joannem ob eximias virtutes permagni habuit, cfr. F. Jofeph Antiqq. Lib. 18. c. 7. liberationem impenfis precibus evicit. De carcere miffus ex Judaea receffit in Aenon alterius Principis, fcil. Herodis ditionem.

Quod etiam SS. Evangeliftae de duobus vinculis non diferte meminerint, huic fententiae non officit; fatis eft, quod ea non negent, quinimo illa infinuent. Cfr. Lamy in Appar. Chronol. pag. 212. ubi demonftrat, Joannem non folis Herodis vinculis fuiffe conftrictum: ex quo hunc canonem hermeneuticum referre placet.

Evangeliftae, Matthaeus & Joannes, ea, quae oculis viderunt, ex ordine referre dicendi funt, nifi clare adpareat, data occafione occupare, quae pro ratione temporis pofterius dicenda: ergo quae Matthaeus hic refert, dicendus eft ex ordine enarrare; fiquidem alias ordo Capitum naturalem rerum Evangelii feriem oftendat, & haec duorum

vincu-

vinculorum opinio feriem Capitum non perturbet. Cfr. fequent.

§ IV.

Chriftus in deferto jejunat & tentatur.

A Joanne baptizatus, Spiritus S. impulfu defertum Quarantania dictum, quod propius Jerofolymis aberat, ceu locum certamini deftinatum petiit, ut orationi & jejunio, folique Deo vacans ad obeundum proxime munus fe accingeret, & ad propulfandas diaboli tentationes, quibus fe fponte probandum, ficut poftea Satanae miniftris exhibuit interimendum, praepararet. Equidem Mofes & Elias non fine myfterio & typo etiam tam diuturnum fuftinuere jejunium, fed hoc quam difpar fit jejunio Chrifti feras, fquallores inter & tentationes exacto, fat evangelica doctrina edocet. Certe faxofam, montofam, fterilemque iftam regionem Quarantania Jerichuntem inter & Jerofolyma fitam ceu terribile ac fquallidiffimum defertum defcribunt inter alios Auctores Maundrel, Nau, Arvieux, & Thompfon &c. Poftea efuriit, ut Satanam, qui Deum illum effe, fufpicari poterat ex miraculis in baptifmate perpetratis, coelefti voce, S. Joannis teftimonio, ex Prophetarum oraculis jam in ejus ortu impleri ceptis, & ideo timidum hoftem velut ad certamen provocaret, fe hominem oftendens, & pofitis quodammodo divinitatis fuae armis velut nudus ac inermis homo atque jejunus (contra luctatorum morem) in arenam defcenderet, in qua tentatoris voluntatem artesque S. Script. teftimoniis profligavit. Haec omnia non fola vifione, fed reipfa ad noftram praeceptionem & exemplum gefta funt; Nihil hic

 incre-

incredibile, nihil dignitati Jesu accidit indecorum: dignatus est ceu secundus Adam protoplasti nostri, qui diabolicae tentationi succubuit, peccatum luere; unde debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret & fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi; in eo enim, in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari. Hebr. 2, 17. 18. has tentationes perdocte exponit Adam Sasbout O. N. in cit. Ep. Indignius nihil hoc loco Woolstoni blasphemiis & cachinnis, absurda expositione Hugonis Farmer, & mirabili sed inani conjectura Herm. van der Hard. — Quod S. Paulus 2 Cor. 11, 14. scribit: "Ipse enim Satanas transfigurat se in angelum lucis, huic historiae praeprimis convenit. Dum Matth. 4, 8. & Luc. 4, 5. videntur discordare, aliqui tentationes quatuor notant intercessisse: quidquid sit, facile solvitur difficultas, attenta Evangelistae utriusque relatione.

§ V.

Jesus praedicat.

Cepit Jesus praedicare & dicere: "Poenitentiam agite; appropinquavit enim regnum coelorum. Matth. 4, 17. Tradito Joanne B. publice & assiduo in Galilaea regnum Dei adnuntiavit, & domicilium in Capharnaum urbe maritima prope lacum Genesareth selegit, tum ob populi ad hoc emporium frequentiam, tum ob Pharisaeorum &c. in Judaea insidias & rabiem. Utitur Salvator iisdem Praecursoris sui vocibus. Cfr. S Hier. in c. 4. Matth. ex quo foederis utriusque elucet concordia, cujus moralis doctrina ad vitae emendationem & poenitentiam tota collineat, ceu viam

ad

ad regnum Christi, quod non de hoc mundo & temporale, sed spirituale per fidem & gratiam in cordibus nostris stabiliendum: poenitentiam exegit Judaeorum status, qui externis ceremoniis, legisque operibus die praesertim expiationis frequentari solitis cuncta remitti peccata, hodiedum sibi persuadent, de interna animi immutatione parum solliciti: poenitentiam exegit Ecclesiae status, in qua post unicum baptisma nullae, ut apud Judaeos, ablutiones, sed tantum vera cordis per poenitentiam ablutio, & baptisma lacrymarum supersunt.

§ VI.

Doctrina Christi.

Doctrina Jesu Christi Matth. 5. 6. 7. & per Evangelium proposita, quam sancta, sublimis atque coelestis? "Mallem, ait Hector Pintus c. 24. de veris & falsis bonis, doctrinae Jesu Christi guttulam, quam totius scientiarum mundi vastum thesaurum." Quam aperte divinam christianae religionis originem demonstrat? certe ab humana mente proficisci minime potuit; nam si tali ortu sata esset: forsan ab aliquo Philosopho, aut fanatico homine? at vero cum juxta incredulos evangelicae fidei praecepta rationi adversentur, & praecepta quaedam morum e. g. parcendi inimicis, remittendi injurias, abstinendi a voluptatibus sensui communi, legi naturali, & spiritui sociali contraria sint, philosophico e cerebro natam non esse fatentur; neque etiam a fanatico sive emotae mentis viro excogitari potuit; nemo enim similis farinae phantasta tam sublime, tam connexum moralis disciplinae systema efformare potuerat, veramque

que hominis originem, & humanae miseriae fontem, ac sublimem reparationis modum, divinum cultum aeterno Numine condignum, dilectionis, timoris & spei motiva tam splendida constituere: & quomodo nationes integrae politiores & sapientiores hanc adoptassent doctrinam vel retinuissent? Quisquis inter incredulos talismodi ortum audet comminisci, is profecto mente captum toti mundo se probat.

Salvator hic a summo hominis bono & vera beatitudine institutiones suas exorsus est, & quae ad consequendam illam conferunt, media ostendit; contraria autem docet Philosophorum & vulgi judicio, qui beatitudinem perperam ac falso a praesente statu aestimant, in eoque censent repositam, ut homo laetus & quietus praesentibus saginetur vanitatibus; Jesus vero beatos illos declarans, qui vulgari judicio & errore miseri putantur, demonstrat veri Christiani calicem sive portionem esse, pati, non frui, quod quidem plures olim gentiles a christiana distraxit religione, nolentes renuntiare voluptatibus. Cfr. Tertull. in lib de spectac. Et quanta divinae hujus doctrinae ab Unigenito filio, qui est in sinu patris, enarratae necessitas? Absque illius revelatione hominem sibi relictum ad verae felicitatis notitiam pervenire haud potuisse, abunde liquet ex tot diversissimis Philosophorum opinionibus, quarum 288 Marcus Varro enumerat apud S. August. Lib. 19. de Civ. c. 1. quas inter aliae ceu falsissimae a scopo toto aberrant, aliae propius nonnihil rem tangentes spissa tamen caligine sunt obvolutae. Et quo naturae aut rationis ductu miser homo ea cognosset aut adquisiisset media, quibus illustratus rite Deo serviret, & salutem obtineret? Jamblichus ingenue fatetur, rem difficilem esse,

agnofcere, quis Deo cultus placeat, nifi aut ipfe Deus, aut perfona Deo fingulari modo converfata id patefecerit. Perpendantur gentilium Sophorum placita, quae non parum corruptam & obfcuram de formandis moribus, de divino cultu & felicitate doctrinam fexcentas inter contradictiones, miferandosque errores praefentant. Quis illorum unquam de fui abnegatione, inimicorum dilectione, moderatione cogitationum &c. tradidit aut perfcripfit? Si tanti viri, certe fortes fpiritus, quos Naturaliftae ad aftra laudibus attollunt, & apotheofi donant, in plurimis tam infandum & turpe lapfi funt, (exemplo fiftimus biographiam Bruti, Catonis, Socratis, Ariftidis, Phocionis &c.) quid de plebe, juventute, quid de barbaris cenfendum?

Quam multi inter hos, cum revelationis fuerint exfortes, ipfam Dei exfiftentiam inficiati funt? "qui vero Deos effe dixerunt, tanta funt in varietate ac diffenfione conftituti, ut eorum moleftum fit annumerare fententias; nam & de figuris Deorum & de locis atque fedibus & actione vitae multa dicuntur, deque his fumma philofophorum diffenfione certatur. Cic. de Nat. Deorum. Inter gentes perfpicaciffimi, ubi fcientiarum omnium cunae & progreffus, Aegyptii, Chaldaei, Graeci & Romani viliffima animantia, res inanimatas & opera manuum hominum divino mactarunt honore: Deorum theogoniae & adfcripta iisdem fcelera & Dei aeternitatem, fanctitatem, aliaque evertunt adtributa. Mafagetae fanguine junctos morti proximos trucidarunt: Perfae in turpiffima flagitia inceftus effundi folebant: Graecis & Romanis impune erat, infantes abjicere, omne genus libidinis patrare, & in palaeftris varias exercere trucu-

truculentias, neque a moribus his ablufere Philofophi. Cfr. Quintil. Lib. I. Inftit. Orat. in praefat. p. 4. Quid de Ariftippi & Cynicorum impudentiffimis fceleribus dicam? quid de ficta Stoicorum feveritate, qui difcurfus tamen obfcoenos non condemnarunt? Conf. Lactant. Lib. III. Inftit. Eu. feb. Lib. 15. Praeparat. Evang. Auguft. in libris de Civitate. Joannem Gerhard. Voff. in Theologia Gentilium.

§ VII.

Refpondetur incredulis.

Sed cum Bolingbroke &c. contendunt, omnes virtutes & praeceptiones morales a Philofophis paganis mirifice jam pridem evolutas fuiffe & explanatas; imo Effenios a graecis edoctos omnem doctrinam moralem longe ante Chriftum tradidiffe; Confucii vero ethicam immortali laude dignam effe ac praeferendam.

Mifera profecto opinandi libido, impia cordis & mentis corruptio, fumma ita deblaterantium imprudentia! Quam vere inquit Erafm. Roterodamus apud Conr. Lycofth. in parab. pag. 127.? "Rododaphnes arboris folia quadrupedibus venena funt, hominibus praefidia adverfus ferpentes; ita divinae literae fobriis ac prudentibus falutarem praebent alimoniam, ftultis autem & impiis haerefeos & majoris impietatis miniftrant occafionem." Non denegari poteft, ab antiquis Philofophis Socrate, Platone, Stoicis & aliis egregia non pauca effe fcripta; etenim omnia, quorum eos Plutarchus arguit, iis adfingere difplicet, fed eorum praeceptiones morales a doctrinae evangelicae perfectione toto coelo diftant, & alias eru-

erubescendis scatent erroribus. Cfr. Polyd. Vergil de invent. rerum Lib. 8. c. 7. de christianae reipublicae praestantia.

Divinus horum opinatorum Socrates, qui primus teste Cic. philosophiam coelo devocatam in urbibus collocavit, polytheismum docuit in prima sua, Deos venerandi lege, & ex cicuta violenter obiturus (licet inanium Deorum irrisor) Aesculapio tamen gallum sacrificari voluit: Graecos solum ceu fratres, at vero barbaros ceu hostes consideravit, hisque omne inferre malum licere censuit: turpissime deperiit cynaedos, unde in paraemiam abiit: Amor Socraticus. Cfr. Lucian. Cum moriendi tempus urgeret: " Tempus est, inquit, jam hinc abire me, ut moriar, vos ut vitam agatis; utrum autem sit melius, Dii immortales sciunt, hominem quidem scire arbitror neminem." Conf. Cic. Lib. 1. Tusc quaest. c. 41.

Divinus Plato praeter uxorum communitatem in bacchanalibus ebrietatem probavit, aliaque perscripsit modestiae & pudori prorsus contraria, insuper foeminis annum jam quadragesimum excedentibus vel abortum procurare, vel proles absque alimentis exponere permittit, & quamcunque de Deo uno cuderit ideam, certum tamen est, quod in suo de Legibus opere polytheismum nunquam non inculcet, & vix de Deo uno verba faciat.

Stoici etsi non pauca laudabilia principia moralia tradiderint, lubrico tamen fundamento erant innixa; Deum enim adseruerunt animam mundi, & arctissimo materiae colligatam vinculo ac fatuo fato subditam. Autochiriam in summis vitae hujus aerumnis viro forti commendarunt. Illorum multi cum Catone scortationes ceu remedia ad vitanda adul-

adulteria permisere. Hominis libertatem negarunt, quibus positis omnis disciplina moralis, utut adserta, reipsa profligetur necesse est.

Theodori ex secta Cyreniacorum, quem jam Archelaus Socratis Magister praecessit, teste Diogene Laertio Lib. 2. sect. 99. modestis libertinis consona sententia haec erat: "Furto quoque & adulterio & sacrilegio, cum tempestivum erit, operam daturum sapientem: Nihil quoque horum turpe natura esse, si auferatur de hisce vulgaris opinio, quae ad continendos stultos conflata est."

Adnumerandi sunt illis Sceptici & Academici, quos inter primum tenet locum Carneades, qui adversus justitiam in romano senatu disputavit. Epicureos in eodem luto fixisse pedem, merito existimatur, quos quidem Gassendus aliique suscepere vindicandos; sed aliter Cic. Lib. 1. de Finibus. de eorum re morali scribit. Hic ipse Tullius perspecta stolida Romanorum suorum superstitione nihil aliud noverat consulere ac hortari, Lib. 2. de Legibus. c. 10. ac ut quivis Majorum suorum Deos coleret, & in solitis sacrificiis nihil immutaret, alias etiam Academicus fuit. Pariter tantus Orator mendacium & perjurium aliquando excusandum censet; imo illud Euripidis: "Juravi lingua, mentem injuratam gero," scite dictum existimat. conf. L. III. de Off. c. 29. Quam recte cum Varrone in fragm. concludere licet: Nemo aegrotus quidquam somniat tam infandum, quod non aliquis dicat Philosophus. Idem Tullius adserit L. II. de Divinatione.

Confucius omnem antiqui cultus innovationem prohibet, inferioris conditionis viros reprehendit, nobilioribus spiritibus sacrificium offerentes; Chinensium vero Lex soli Imperatori sacrificium

cium coelo & terrae offerre permittit, alios montibus tantum vel fluminibus litare finit &c. Coeli ac terrae nomine literati Chinenses materiam intelligunt, & per coeli spiritum virtutem physicam intelligentia nulla praeditam, quare Chinenses eruditos, quos tamen Voltairus in Historia univ. multum commendat, merito Atheos dici posse adparet. Alii Confucii asseclae maluere, nullam profiteri religionem, cum modus, ajunt, ritusque Deum colendi lateat; praeterea in moribus plura absurda habent & abominanda: infames contra naturam fovent libidinis turpitudines; inter vulgares vigent lenocinia: foeminae, ne nobilibus quidem exceptis, soboles post partum non raro suffocant, & harum quot annis, vel una in civitate Lao-ki multa millia misere pereunt. Cfr. Lib. cui titulus: Confucius Sinarum Philosophus, sive Scientia Sinensis. Lib. Longobardi de scientia Sinensium, & Navarret. in relat. Imper. Sinensis. Confucio templa multa & magnifica sunt erecta, Miao adpellata: hic in utroque cujusvis anni aequinoctio illi & Progenitoribus defunctis solennia offeruntur sacrificia, videlicet porci, caprae, vinum, candelae, flores, thymiamata. Etiam Chinenses mortuorum suorum nomina certis tabellis inscripta conservant, quas spirituum thronum sive sedem vocant, & dicto cultu ab iis honorantur. Cfr. S. Congr. Responsa sub Clem. XI. 1704. Populum hunc litibus deditum esse, fraudulentum, mendacem non diffitetur Montesquieu. Tandem ex Authoribus fide dignis constat, quod haec natio ab annis 2000 parum in scientiis profecerit, imo in potissimis adhuc rudis sit atque hebes. Et dicti hi Philosophi, scilicet tam pudici, tam justi & sancti purioris ethices sunt Magistri juxta incre-

dulos, ex quorum doctrina Christus Synagogae superstitionem reformavit, hi sunt, qui clariore, solidioreque methodo, quam Salvator moralia dedere praecepta: Chinensis scilicet natio erit, quae vera legis naturae praecepta nos possit edocere.

Tandem ad Essenios quod spectat, pythagorica potius imbuti philosophia, & ab hominum consortio semoti vixerunt, ceterosque velut pollutos aspernabantur; erat plerisque matrimonium horrori, & a jurejurando velut perjurio abstinebant; animorum admittebant praeexsistentiam, aniles & lepidas quoad Sabbathi sanctificationem habebant superstitiones, atque animis corpore liberis felicitatem quandam ultra oceanum tribuebant, ei non absimilem, quam in Elysiis campis gentiles somniarunt. Adeo manca, superstitionibus ac erroribus inquinata illorum fuit doctrina. Cfr. Serar. Trihaer. pag. 79. edit. Mogunt.

Quis nunc ex praefatis omnibus Philosophus omnia, quae Deo, nobis & proximo debemus officia, ut decet, explanavit? quis maximum charitatis erga Deum praeceptum rite evolvit? quis dilucide asseruit unquam unum Deum, ceu perfectissimum spiritum toto corde, tota anima, viribusque omnibus in spiritu & veritate ab omnibus esse amandum, colendum, & in ipsum omnes actiones nostras tanquam ad finem esse referendas? quis cognovit unquam omne bonum a Patre luminum descendere, & sine Dei adjutorio se nihil esse, nihil posse? quis ad virtutes sibi adquirendas humiles ad Deum preces fudit? sed enim superbia turgidi ed comparandam virtutem nulla divina ope nos indigere dictitarunt. Et hi omnes simul sumti perfectum & completum moralis disciplinae systema efformarint?

§ VIII.

§ VIII.

Apostrophe ad incredulos.

Vos recentiores Evangelii hostes, qui moralis doctrinae fortissimi adsertores estis, aut saltem tales esse videri vultis, cur moralem Jesu doctrinam non amplectimini? contra quam nihil caussari potestis, sed potius, experientia teste, edicitis, quod illa rempublicam reddat tranquillam ac felicem, & cujusvis status homines suo in officio contineat. Eccur gentilibus Lycurgis vestris majorem quam Jesu honorem defertis, cum lex christiana omnium, quotquot fuerunt, legislatorum praeceptis longe longeque excellat? Nulla morum doctrina civem tam honestum efficit, officia nulla tam praeclara sunt, & humanae naturae convenientia, nullae agendi aut patiendi causae tam excelsae & validae sunt, quam ea, quibus Christiani gaudent. Haec vera esse si ex pervicacia negaretis, mentis vestrae oculos coecos esse dicendum foret; ast cum doctrinae christianae praerogativas ipsimet fateamini, amplecti vero illam renuatis, clare adparet, quod veritas nihil animum vestrum sollicitet, sed cordis malitia vos instiget ad perversos cachinnos, quibus ora distorquetis contra optimam doctrinam. Haudquaquam fortes spiritus, sed perversa corda adpellandi estis; quid enim ab illa Jesu, quam adprobatis, doctrina vos abstrahit? nisi timor, ne pessimis moribus vestris, superbiae, gulae, libidini, injustitiae &c. cogamini renuntiare.

§ IX.

Parabolae Jesu usitatae.

Parabolicum dicendi genus in V. jam Testamento, rarius tamen occurrit. Cfr. Jud. 9, 8. 2.

 Reg.

Reg. 12. Isa. 5, 1. Ezech. 17, 2. 33, 2. In novo autem foedere divinus Orator & Magister Jesus C. persaepe ad turbas similitudines ac parabolas etiam ex rebus gestis desumtas adhibuit pro more Syris & maxime Palaestinis familiari. Cfr. Hier. in Matth. 18. "Proponebat, ait Erasmus in paraphrasi N.T. ad Marci 4, 2. Christus parabolas, h. e. rerum notissimarum similitudines. Est enim hoc simplicissimum docendi genus, ac rudibus maxime accommodum. Videtur enim prima specie puerile ac ridiculum hujus mundi sapientibus, sed hoc docendi genus placuit aeternae Sapientiae. Philosophi magna arte contortis syllogismis tenebras offundebant auditoribus, Rhetores admirabili dicendi copia vim admovebant animis hominum. Pharisaei retrusa quaedam & a populari captu procul semota congerebant. Ceterum hoc doctrinae genus simplicissimum & ab omni ostentatione alienum sibi delegit Jesus, ut tota gloria mundi per Evangelium innovati esset divinae virtutis. Multis itaque parabolis excitavit animos illorum, ut simplici credulitate purisque mentibus acciperent sermonem evangelicum, unde salutis nostrae principium proficiscitur."

§ X.

Rationes aliae parabolarum usus & harum regulae.

Causae usurpati hujus dicendi generis Deum & homines, partim pios ac dociles, partim impios & praefractos concernunt.

Deus in Filio suo revera impleri voluit, quod regius Vates Psal. Heb. 78, 2. Asaph inscripto praedixit: "Aperiam in parabolis os meum." Cfr. Matth. 13, 34. quidquid biblicae veritatis Aristarchi contra Matthaeum hic obmoveant. Cfr. Tertull. L. 4. adversus

ſus Marcionem Lib. 11. in fine. Ad homines pios & dociles informandos, "Talibus multis parabolis loquebatur verbum Marc. 4, 33. prout poterant audire": captui scil. auditorum ſermonem ſuum accommodavit Dominus, quo eos ad coeleſtis regni myſteria erudiret. Cfr. Joann. 3, 12. & ad hoc parabolae & ſimilitudines a terrenis rebus, obviisque commodatae non parum faciunt, dum iſtae res ipſas ſignificatas ſimplicis populi oculis ſiſtunt, atque attentiorem quoque reddunt animum; ſique ſenſum hic perceperit, plus ſolet commoveri, quam rationum pondere ac ſubtilitatibus. Similitudines pariter diutius animo obverſantur, & ad quemvis velut conſpectum earum rerum, ex quibus ſunt depromtae, recurrunt, ex quo ſimul exercitatio ſubnaſcitur, & diſcendi fervor; quare propoſitis parabolis Jeſus ſaepe exclamat: Qui habet aures audiendi, audiat! Matth. 13, 9. Marc. 4, 9. Luc. 8, 7. quibus ad uberius percontandi ſtudium adhortatur: cui monito ſe obſequentes praebent diſcipuli, & & alii, qui cum Chriſto erant, dum parabolarum interpretationem ſedulo ab ipſo exquirunt. Cfr. Matth. 13, 10. Marc. 4, 10.

Indociles Judaei parum ſolertiae adjunxerunt in adſequenda Domini ſententia, oculis quidem divina ſpectarunt prodigia, ſed non mente & fide ad illa ceu divinitatis argumenta attenderunt, ex infidelitate, cordis duritie, livore, aut curioſitate aliorſum abrepti. Hi licet Chriſtum in parabolis docentem contemſerint, eos tamen a ſalutaris verbi intelligentia non plane excluſit, quin potius abeuntes gravi cohortatione ſua: "Qui habet aures audiendi, audiat! Servator revocare conatus eſt; etiam ad hos iſta in parabolis ſonans doctrina pertinuit, quia melius erat illis aliquam ſpiritualis regni doctrinam ſub

comparationum involucris percipere, quam ea omnino privari; itaque potuissent uberius imbui, sed propria ex nequitia noluere. Cfr. S. Chrysf Hom. in Psal. 48. quare in his incredulis vere evenit illud Isa. 6. 9. Cfr. Matth. 13, 14.: discipulis vero, qui parabolae nucleum discere cupierunt, datum fuit, nosse mysteria regni coelorum: contra turgidis contemtoribus mansere abscondita, quia illa fastidierunt, & in pertinaci coecitate sua perstiterunt.

Proponit Dominus diversas parabolas, ut juxta vulnerum varietates & medicina diversa sit: S. Hier. in c. 13. Matth. Cfr. S. Aug. Lib. 12. c. Faustum c. 7. & Lib. 5. de Genes. ad lit. c. 3. Tandem ne sinistra parabolae hermenia fiat, notandi sunt varii SS. PP. canones, praecipue S. Basil. in Reg. brev. Interr. 254. S. Chrysf. Hom. 65. in Matth. 20. S. Aug. Lib. 16. de Civit. c. 2. Praesertim attendendum, non omnia ad contextum & significationem trahi debere, sicut in tabulis pictis nonnulla ceu ornatus, alia vero tanquam partes considerari debent. Nuper D. M. G. L. Bauer in libello: *Sammlung und Erklärung der parabolischen Erzählungen unsers Herrn* explicandis 34 parabolis operam contulit.

§ XI.

Respondetur recentioribus ethnicis.

Ex parabola Luc. 16, 1 — 13. proposita, ubi v. 8. laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset &c. Religionis derisores post Julianum A. ansam capiunt, christianae fidei Auctorem ceu fraudum & injustitiae architectum conclamandi: grandis ignorantia dicam, an blasphemandi furor? Attendatur tantum parabolae scopus, & spissa ejus

ejus difficultas, quam nonnulli obmovent, dissipatur, simulque impia obtrectandi libido patebit. Qui injustum ac infidelem laudat oeconomum, homo ille dives & herus fuit, non vero Christus; hic
v. 9. modo sermonem exorsus est ceu moralem ex parabola doctrinam: Herus non fraudem aut facti improbitatem, sed solertiam & infidi oeconomi sagacem industriam quamvis laesus laudavit, quod videl. ea, quam seculi hujus homines prudentiam vocant, rebus suis in futurum prospexisset. Et hoc tertium comparationis est. Nec seculi hujus filios vere & reipsa dixit prudentiores, sed prudentia tantum carnis, falsa prudentia, & in caducis rebus prudentiores. Laudatur igitur, quod his in angustiis Domini sui debitores beneficiis sibi devinxerit, a quibus, cum a munere suo se amotum iri praesciret, postmodum liberalem victum speraverat. Nunquid mercator, qui, antequam foro cedit, clam de alimoniis sibi providet, laudari solet, quod callide & astute rebus suis consultum ierit, quin fraudes ejus probentur. Tandem Servator concludit & adhortatur: "Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis: de divitiis fluxis, quas scil. soli iniqui divitias reputant, veras & solidas divitias negligentes: de divitiis hujus mundi, quae coelestibus comparatae falsae & adulterinae: de divitiis, quae plerisque sunt iniquitatis instrumenta, fomenta avaritiae, voluptatis satellites, irritamenta malorum: ut cum vita vos defecerit, & ratio administrationis vestrae Deo reddenda fuerit, sit, qui vos in coelestes recipiat mansiones, Christus scil., qui sibi factas eleemosynas reputat, quae pauperibus erogantur, vel ut justi sanctique pauperes, quorum sublevandae miseriae terrena bona impendistis, precibus suis vos in coelum introducant.

Caput III.

Coelestis Pater Christum Jesum filium suum non proposuit solum propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, sed etiam ceu Legislatorem, qui in evangelico foedere varia praecepta tulit; quare illi & fidere & obedire oportet.

§ I.

Christus Jesus Legislator.

Veritas haec affatim jam praesignatur Isa. 2, 3. 33,22. optata Messiae tempora describens, quam praeclare illustrat S. Paul. 1. Cor. 9, 21. Cfr. S. Aug. Lib. 12. de Civ. c. 17. Christus ipse adseverat Joan. 15, 10.: "Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea &c. neque venit, ut legem solveret, sed adimpleret, Matth. 6, 17.; & saepe dictatorio modo loquitur: "Ego autem dico vobis: hoc est praeceptum meum; praemia insuper & poenas in sepem legis adnuntiat Matth. 25., ut hominum animos exacuat & percellat. Praeprimis vero hoc demonstratur Matth. ult., ubi Christus victor mortis & hominum redemtor a Patre summa potestate, summo in omnem creaturam imperio donatus non in Judaeam solum, sed in mundum universum legatos & administros suos mittit; quis igitur non miretur, eo multorum, qui tamen Ecclesiae suae puritatem tam magnifice jactanr, progressam esse proterviam, ut sola fiducia in Jesu sanguine & meritis ceu praecepto unico summam Evan-

Evangelii confectam putent." Ex his principiis a Luthero Lib. de libert. christian. & Calvino Comment. in Ep. Gal. c. 4. quibus accessit Hobbesius in Leviathan c. 42. incautius positis, verba sunt Georg. Bullii in Harm. Apostol. dissert. 1. c. 3. atque a Theologorum vulgo avide arreptis per necessariam consequentiam deducta fluxerunt execrábilia Antinomorum, Libertinorum, Familistarum, atque ejusdem farinae dogmata. Igitur merito Concil. Trid. sess. 6. c. 21. ita statuit: Siquis dixerit, Christum Jesum hominibus datum ut redemtorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui obediant, anathema sit. Nunc post Hugon. Grotium &c. multi alienae communionis viri Christum legislatorem confitentur, in quo Reformatoribus suis longe sapientiores sunt.

§ II.

Diversi generis praecepta Evangelium proponit, praecipue moralia.

Varia praecepta moralia in ordine ad Deum, nosmetipsos, & proximum evangelica lex proponit.

In ordine ad Deum dilectionem, in qua summa divinae legis est, Matth. 22. praecipit. Joan. 4. 23. adorationem in spiritu & veritate; Matth. 5, 16. solam Dei gloriam prae oculis habendam; Luc. 12, 31. regnum Dei primum inquirendum & justitiam ejus; Matth. 5, 48. studium, quantum infirmitas nostra patitur, coelestis Patris imitandi perfectionem; Matth. 7, 21. voluntatem Dei diligenter inquirendam, docet.

In ordine ad proximum dilectio Matth. 7, 12. iterum praecipitur, ubi justitia, quae juris alieni violationem vetat, & charitas, quae exigit, ut prodesse velimus quam plurimis, ceu virtutes, qui-

bus omnis humana regitur societas, velut lex & Prophetae Matth. 22. nobis praescribuntur. Cfr. Joan. 13, 34. Et dilectio illa contentionem, inanem gloriam excludit, non quae sua sunt, sed, quae aliorum sunt, quaerit Philip. 2. 1. Cor. 13. candorem unice spirat & veritatem Eph. 4, 25. "Quae, inquit S. August. Ep. CXXXVII. disputationes, quae literae quorumcunque philosophorum ... duobus praeceptis, ex quibus Christus dixit, totam pendere legem & Prophetas, ullo modo sunt comparandae?" Hanc dilectionem universum genus humanum complecti, parabola de Samaritano, docet. Luc. 10 imo etiam eos, qui odio nos habent, diligendos esse liquet. Rom. 12, 17. Dicant sodes! hoc loco Theistae, quomodo cum Voltairo evangelicae Jesu doctrinae intolerantiae calumniam possint impingere? si ex inscitia ita ausint criminari, certe ignominias & opprobria merito sibi consciscunt, dum, quae ignorant, aut scire dedignantur, blasphemant; si vero ex malitia haec scribere non abhorrent, quam blasphemi sunt Jesu Servatoris & Magistri optimi hostes? Judicium temere conceptum a cordibus prorsus arcendum esse Luc. 6, 37. humanitatem, pacem, misericordiam erga alios Matth. 5. obsequium, honorem, tributum, cui debetur, reddendum divinus Legislator docet Matth. 22. Rom. 13.

In ordine ad nos ipsos edocemur miserrimum statum, in quem per Adae peccatum lapsi, divinamque misericordiam, qua per unigenitum Dei filium salvati sumus 1. Cor. 15, 22. Rom. 5. ex quo consequitur, quod fiduciam omnem in Christo collocare, ipsique adhaerere nos oporteat Act. 4, 12. 15; 11. & hanc gratiam ut consequamur, orationem humili corde, fide viva, ac spe firma fundere jubemur

Matth.

Matth. 6. Marc. 11. Luc. 18. Jac. 4, 6. praeterea Matth. 10, 38. Siquis Christi discipulus esse cupit, exemplo Magistri crucem suam tollere debet & patienter ferre. Non licet secundum carnem vivere, Rom. 8, 6. 1. Cor. 3. Jacob. 4, 4. odio prosequi peccata debemus, 1, Thessal. 5, 22. & in bonis perseverare operibus Matth. 10, 22. O quam genuinas de Deo notiones lex evangelica impertit? quam longe clarius & praecellentius, quam lex naturalis officia Deo debita recenset, dum hominis nobilitatem exprimit, simul & infirmitatem. protoplasti delictum illiusque effectum ac sublimem humani generis redemtionem: dum officia hominum mutua ac erga se ipsos tam excellente modo & ad publicam felicitatem cujusque status congruentissimo praecipit, & ad coelestem vitam nos erudit?

§ III.

Praecepta ceremonialia.

Praecepta ceremonialia, quae ad externum Dei cultum, ad sacramenta & sacrificia a Christo vel ejus Ministris sunt instituta, etiam Lex evangelica habet: sic sacrum baptismi lavacrum cum aqua & certa verborum forma instituit, qua publica fidei professione initiati ostendunt, se veterem exuere hominem, novumque induere, ac universa Christi praecepta velle observare. Utque in tuenda fide essemus fortes & impavidi, Confirmationis Sacramento Spiritus sancti dona alligavit. Act. 8, 15. Eucharistiam in pane & vino a Sacerdotibus cum certis verborum formis praecipit confici, ut fideles pretioso corpore & sanguine Christi refecti omni gratiarum genere adcumularentur. Nostrae etiam consulturus infirmitati Ecclesiae potestatem contulit,

lit, peccata post baptismum commissa remittendi. Pariter iis, qui constituuntur in sacris Ordinibus, vel qui junguntur matrimonio, vel ad extremam vitae metam properant, amplissima gratiarum auxilia per certa praeparavit Sacramenta. Etiam praecepit, ut ad publicos religionis actus statis temporibus conventus fierent Matth. 18, 20. 1. Cor. 11. atque in psalmis, hymnis, canticisque spiritualibus Dei laudes adnuntiarentur. Eph. 5, 19. Et ritus illi in Sacramentis tam sunt necessarii tamque fundamentales, ut nec Apostoli nec eorum successores derogare iisdem possint, quia ministri duntaxat & dispensatores, non vero mysteriorum domini sunt. 1. Cor. 4, 1. Christum autem non ordinasse omnia, & bene multa Evangeliis non fuisse inserta, sed Ecclesiae concessa Matth. 16, 19 adsumtis Rectoribus Luc. 6, 13. collata clavium potestate instructis Joan. 20, 22. & praescripto regendi modo Luc. 22, 32. demonstrant Petri haesitatio de gentium receptione Act. 10, 3. Acta Concil. Jerosolymitani Act. 15. diversae liturgiae Apostolorum & Evangelistarum nomine celebres.

Perpensis his legibus abunde patet, quid de iis censendum, quibus Evangelium ceu laetum nuntium de Agno Dei, de propitiatione peccatorum, de Advocato apud Patrem unice arridet; quamque noxius & pestilens foetus Tindalii sit: *Christenthum so alt, als die Welt.* Annon simul hic optandum esset, ut eruditi illi, qui alias propugnant christianam religionem non solum Christi natalem antecessisse, sed cum primis hominibus natam esse, & floruisse jam apud homines sanctos, qui tempore legis naturae & legis scriptae vixerunt, in hoc dicendi genere nonnihil essent providentiores. Horum dicta licet ex optimo fine proposita sint, ut & effata Lactant.

Lib.

Lib. 7. Inſt. div. c. 7. & Tertul. in apolog. c. XVII; male tamen uſurpant ea viri impietate magis, quam doctrina inſignes Tolandi, Collinſii, Wooltoni, Baylii, ut probent, veritatem nullam ad hominum mores pertinentem gentilibus Sophis, & legumlatoribus Minoi, Lycurgo, Zeleuco, Numae, Zoroaſtro, Pythagorae, etſi revelationis fuerint expertes, ignotam fuiſſe, ideoque divinam in utroque foedere manifeſtationem haud eſſe neceſſariam.

§ IV.

De praeceptis judicialibus.

Praecepta judicialia Chriſtus Jeſus nulla ſanxit, ſiquidem regnum ejus non de hoc mundo fuit Joan. 8. & temporalium gubernacula tenere renuit Joan. 8, 37. Luc. 12. neque regnare voluit, niſi in cordibus per amorem, reverentiam & timorem. Spirituale ejus regnum fuit, ſcil Eccleſiae gubernatio, ejusdemque contra hoſtes & portas inferi defenſio. Igitur leges forenſes non tulit, regni autem hujus ſpiritualis adminiſtros poſuit Matth. 16, 19. inprimis Simonem Petrum, ubi catholicam expoſitionem noſtram omnia evincunt, & lectio ſyriaca graecae quoad vocem Πετρα plenam lucem adfundit: אף אנא אמר אנא לך דאנת הו כאפא ועל הדא כאפא אבניה לעדתי ותרעא דשיול לא נחסנונה: Ad vitam vero reverſus Matth. ult. regnum illud ſpirituale ubivis propagandum commendat. Ex quibus adparet, quo redigatur plenae poteſtatis a Patre ſibi traditae exercitium, ſcil. ad regendam Eccleſiam, paſcendos fideles, peccata remittenda aut retinenda, leges ferendas, ita ut ſententia lata in terris, rata quoque habeatur in coelis. Qui hic apertis caligant oculis, partium ſuarum ſtudio abrepti,

repti, ſedulo perpendant, quae cit. Matth. 16, 18. alia naturalis ad literam expoſitio queat profluere; Verum eſt, nonnullos Patres per Petram Chriſtum intelligere, & Eccleſiam eſſe erectam ſuper confeſſionem Petri dicere; ſed quis illorum unquam noſtram de Cepha negavit ſententiam? O quam paradoxas exegeſes hic excuderunt Whitby, Gill, Polus &c.! Mirum profecto, eruditos viros a ſemetipſis & inter ſe tam repugnantibus diſſidere ſententiis, verba divina tam plana vi aliorſum deducere, dicta veterum Patrum citare, attamen in diverſam ab iis abire opinionem!

§ V.

Reſpondetur Anonymo.

Contra hanc hermeniam ſimul & religionem noſtram vix ineptiora & ſaevis calumniis pleniora hoc aevo quis eructaverit, quam Anonymus auctor libelli: *Beſchreibung aller Religionen in der Welt. Lauban bei Joh. Chriſt. Wirthgen:* Propriam ſectam ſuam vir heteroclitus non deſcripſit, tam egregie promiſſam fidem in ſpecioſo libri titulo liberavit. Inter omnes vero Chriſtianiſmi ſectas Catholicam fraudulentiſſimam eſſe, & inter falſas quasvis principem illam locum tenere conviciatur: tam egregium docti hiſtorici, temperantis critici ac tolerantiae chriſtianaeque charitatis ſpecimen praebuit: videtur profecto nequidem Catechiſmum aliquem catholicum vitae ſuae diebus inſpexiſſe, ſed improbo ſtudio tantum & ex malitia ea congeſſiſſe, quae ante ducentos & amplius annos eodem furore Chriſtianis certe indigno nobis improperari ſolita ſunt. Videtur Libertinos, Socinianos, Far, ricos &c. de quibus (ut & Calviniſtis) longe placatius ſentit ano-

Anonymus, merito considerare ceu decoras proles ex Lutheranismo natas, mirum ergo non est, cur eas prae papistica secta adamet; sed rogamus eum, ut legat judicium Erasmi Roterodami ex epistola in Pseudoevangelicos apud Wallenburch. Tom. 1. pag. 1036. & variationes Protestantium auctore illustriss. Bossuet; ex quibus propriam Sectam suam non gravetur describere, & defectum cit. lib. supplere, & dum ita agit, protestanticos etiam doctores suos adeat, & auscultet eorum querelas de fontibus libertinismi, naturalismi & irreligionis utique domesticis.

CAPUT IV.

In Evangelio multa continentur mysteria, quae absconditä fuere a seculo & generationibus; nunc autem manifestata sunt Sanctis, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriae Sacramenti hujus in gentibus, quod est Christus, in nobis spes gloriae.

§ I.

Mysteria oportet credere.

Si Deus loquatur, seque aut per se aut per alterum manifestet, attendere & obsequi creaturas omnes ratione praeditas oportet: nonne rerum omnium conditori hunc deferendum esse honorem ratio dictat & persuadet? praesertim cum de veritatibus agatur, quas rescire, generis humani infinitum fert; non toleranda igitur est elatio, qua divinae reve-

revelationis veritatem ad infirmae mentis trutinam revocare audent. Nunquid difficile aestimamus Sap. 9,16. quae in terra sunt, & quae in conspectu sunt, invenimus cum labore, quae autem in coelis sunt, quis investigabit? Deus, quae sua sunt, optime novit, & nisi ipse se revelarit, ab infirmis terrigenis ignorabitur. Ideo subdit Sapiens: "Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris spiritum tuum sanctum de altissimis? Cfr. 1. Cor. 2, 11. sique in naturae operibus quotidie obviis tot mysteria humano cuivis acumini impervia offendantur, quorum scientia curiositatem potius, quam debitam supremo Numini gratitudinem in nobis excitasset; si synagoga, si ipsi Ethnicismus & Mahomedanismus (religionis revelatae simii) suis glorientur mysteriis; si a prima sui origine quilibet Ecclesiae status mysteria studiose percoluerit, si eorum necessitas ex ipsa divinae revelationis comprobetur necessitate; quid de turgido illorum fastu differendum est, qui ex sinistra mysterii notione sophismatis & cavillis ea ceu inutilia, rationi adversantia, impossibilia non abhorrent explodere? quoniam ea ratione naturali, quam solam credendorum & agendorum cynosuram praedicant, nequeunt emetiri. Cfr. P. Jamin de mysteriis. Verum sciant superbientes id genus Sophi, aut ratione aut auctoritate veritatem inquiri, & cum ea, quae ad divina & coelestia pertinent, humanae mentis acie longe sint superiora, nequit imbecillitas nostra, quacunque adnitens industria, quocunque adjuta systemate ad tam sublimia conscendere, tamque abscondita penetrare; supra rationem autem esse, ratio mysteriorum flagitat, quibus intellectus humanus non difficulter se submittet, si cogitet secum, haec revelari de rebus naturae sphaeram excedentibus, de

qui-

quibus haud evidenter perceptis, judicare ipſe ex lumine ſuo nec poſſit, nec debeat.

Id adeo perſpicuum ipſi Mahomedo viſum eſt in Suratis de Formica, Mulieribus, Aranea, ut in his ſola via auctoritatis divinae incedendum eſſe cenſeret. Quam aequitatis hic amantior arbiter eſt Pſeudopropheta, quam multi alii in gremio chriſtianae Eccleſiae enutriti? Acerba fata, ſempiternum opprobrium aevi noſtri, quo apologia pro chriſtiana fide Chriſtianis debet ſcribi! Certe auctoritas divina, ſicut omnem attingit veritatem, ita hanc etiam in mentis noſtrae ſinum ingerere ſola valet; quapropter contra infelix hujusmodi furfuris genus incredulos longe ſapientiorum & vera philoſophia eruditorum vox unanimis conclamat, de abſconditis Dei Sacramentis, deque iis cunctis, quae Deum divinaque ſpectant myſteria, non ex infirma mentis noſtrae lance quidpiam librandum eſſe, ſed divinae revelationis auctoritate dijudicandum.

§ II.

Myſteria ad pietatem erudiunt, ac conſolantur hominem.

Proth. Henriet Ord. N. in Harm. evang. edit. Pariſ. in fine potiſſima 23 myſteria recenſet. Aſt dum haec altitudo divitiarum ſapientiae & ſcientiae Dei carnali ſapientiae, quam ſtultam fecit Deus, incomprehenſibilis eſt, non horreſcit obponere, myſteria noſtra ceu principia mere theoretica non influere in agnitionem veritatis, quae ſecundum pietatem eſt; ſed enim cum Incarnati Verbi myſterium ipſe Apoſtolus 1. Tim. 3, 16. manifeſte magnum pietatis ſacramentum adpellet,

certe reliqua etiam myſteria in illo velut centro conquieſcentia ad verae pietatis ſcopum collimabunt, ita ut recta divinae majeſtatis omni honore amoreque digniſſimae notitia & vera ratione illam in ſpiritu & veritate adorandi imbuti tandem ad beatiſſima ejus pertingamus conſortia. Myſterium nullum adveneramur, quod non ſuavi illapſu amorem, reverentiam, gratitudinem, humilitatem animis noſtris inſtillet & eliciat, quod non in adverſis reflantis fortunae caſibus ceu liquidior lux nos illuſtret & conſoletur, fervorem in fide accendat & conſervet, & ad cuncta ſtatus noſtri officia debite exigenda nos commonefaciat.

Quoties a mundo condito myſterium naſcituri Meſſiae adnuntiabatur, nunquam non acerbae incubuerant aerumnae. Protoplaſtis hoc ineffabile bonum & ſolatium promittitur, cum in miſeriarum omnium abyſſum prolapſi, conſilii porro eſſent inopes. Abraham patria exul primum, iterumque audito Pentapolis excidio, poſtea demandata unigeniti ſui nece percipit: Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terrae. Gen. 22, 18. Hoc idem laetum nuntium Iſaac obtinuit, dum orta fame, vitae timens Aegyptum conſtituerat accedere. Jacob nonniſi in fuga, in deſerto, a cunctis deſertus hac benedictione impertitus eſt. Tandem imminente davidicae domui a Raſin & Phacee certa pernicie, cum populus animum jam deſponderet, unico & ultimo ſolatio proſtratum erexit nativitas Immanuelis: ut breviter rem dicam; Prophetae omnes Jeſum praenuntiarunt ceu ſacram & unicam ſpei ancoram, cum procellae graviſſimae calamitatum ſaevirent. Et quid nunc cenſendum, dum in temporis plenitudine reipſa nobiſcum Deus? Nonne unicum ſummumque ſolatium in calamitatibus

tibus publicis & privatis, in- & externis hoc ex mysterio in nos profluit? O quam vere Apostolus 2. Cor. 6, 2. ait: Tempore accepto exaudivi te. Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis!

Ex his mysteriis lumine admirabili divina adtributa nobis relucent: e. g. ex Christi oblatione & morte resplendent divina sapientia, omnipotentia, bonitas & misericordia, justitia & sanctitas. Eph. 3, 18. sic, ut possimus comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo & longitudo, & sublimitas & profundum, scire etiam supereminentem scientiae charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Cfr. Tertull. de carne Christi c. 5. & c. Marcion. Lib. 2.

§ III.

Christiana mysteria a gentilibus differunt.

Supremum impietatis gradum tenent hodierni seductores & perditionis filii, qui christiana mysteria ex schola platonica accersere, ex gentilium adytis e. g. Cybeles in Samothracia fanis, Hecates diversis in provinciis superstitione, ex Cereris & Proserpinae Eleusinis sacris, ex Baccho in Boeotia, Iside in Aegypto derivare amant. Omnes hi maleferiatorum hominum ritus cum absurdis, ridiculis, obscoenis, truculentis, execrandis actionibus conjuncti etsi nunquam non lucem fugerint, qua tamen origine, quemque in finem nati, documenta luculenta praebent; mysteria autem regni Dei, coruscante ubique Evangelio, a profanis toto coelo differunt, & hoc solum controvertit omnis spiritus, qui solvit Jesum... & hic est Antichristus, de quo audistis, quoniam venit, & nunc jam in mundo est. 1. Joan. 4, 3.

Caput V.

Jesus C. magnus ille Propheta ex gente Israel a Domino Deo suscitatus missionem suam multis oraculis confirmavit, & signis, portentis, variis virtutibus & Spiritus sancti distributionibus contestatus est.

§ I.

Jesus Christus Propheta.

Magnificabant Deum, dicentes: quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitavit plebem suam. Luc. 7, 16. Jesus Christus juxta Harm. Henriet triginta saltem tribus vicibus passionem, mortem & resurrectionem suam praedixit; cum enim discipulis suis verbo & opere palam divinitatem suam declarasset, simul reparandae salutis humanae mysteria iisdem tradidit, tum ut certissimam suam omnium praescientiam, & ardentissima sponte patiendi monstraret desideria, tum ne inopinato quodam eventu & crucis scandalo fides illorum labefactaretur: Hierosolymis in destinato dispensandis mysteriis loco omnia consummanda praemonet, ut ibi rem ipsam exhiberet, veramque pro peccatis hostiam, ubi umbra ac figurae, pascha scil., aliaque legalia oblata sunt sacrificia, & ut pro adaucto in hac urbe suppliciorum opprobrio etiam gloriosae anastasis fama & gloria in universum proferretur orbem.

Mortem, modumque supplicii praedixit, ut suos a terreni regni spe avelleret, resurrectionem au-

autem, ne animis conciderent; sed hi sermones gravissimo moerore discipulos statim prostravere, nec resurrectionis exspectatio erexit pusillanimes, quia tam sublime mysterium non intellexerunt, nec ad illud satis attenderunt. Et licet Judaei interea 27 vicibus juxta Henriet Harmoniam Jesu necem machinarentur, quem Pilatus per 15 vices ceu insontem conabatur dimittere, nihilominus Jerosolymam ascendit, ut consummarentur omnia, quae scripta sunt de filio hominis. An Judaei hanc Christi necem proposito suo, & clamoribus: Non in die festo, ne tumultus exoriatur in populo, necem inquam tam SS. Prophetarum oraculis, quam typis legalibus prorsus conformem valebant praevertere aut differre? an corpus Jesu in tumulo sigillo praemunito atque militum custodia potuere a resurrectione remorari, & mendacia aere corrupti militis ulla fide incrustare, ac ita impedire, quominus Evangelium regni ad Christi praedictionem Matth. 24, 14. 26, 13. in universo mundo celebraretur?

Christus Jesus iisdem de causis proditorem suum praenuntiavit, nomini quidem ac honori parcens, ut hac singulari lenitate a facinoris atrocitate flecteretur ad poenitentiam. Tandem Judam esse, signo buccellae intincti panis Joanni supra pectus suum recumbenti indicavit.

Christus Jesus Matth. 21, 43. regnum Dei a Judaeis auferendum praedicit, quia unicum Patrisfamilias filium ac haeredem sunt occisuri. Apud Judaeos, Salvator praedicit, ceu populum suum non amplius regnabit Deus: auferetur divinae legis notitia, verbum Dei, lex evangelica a Sacerdotibus, Judicibus, Legisperitis, Pharisaeis mali totius auctoribus, ab impia ac prorsus dege-

nere plebe, & ad vocandas gentes divina gratia transferetur, quae bonorum operum, justitiae, & spiritus fructum regno Dei convenientem edant. Cfr Act. 13, 46. Rom. 11, 25. Perpendant tantum increduli miserandam tot jam seculis Judaeorum conditionem post stupendas a tot Romanis & Christianis inflictas iisdem clades illorum adhuc multitudinem, ad omnes ferme plagas expulsionem, obfirmatam in iis Mosaicae legis observantiam, etsi ex communi sensu, ratione & experientia propendeant in sententiam, illam esse abrogatam: considerent, annon Japhet nunc inhabitet tabernacula Sem? Cfr. Eph. 2. S. Aug. L. 12. c. Faust.

§ II.

Insigne vaticinium de Jerosolymae excidio.

Nulla Jesu Christi praedictio de futuris tam attentione ac stupore digna, atque illa Matth. 23. ubi templum & urbem, Deo praesentiam suam & tutelam subtrahente, immane vastatum iri praesagiit: quomodo huic vaticinio fictionis aut suppositionis notam inurent? siquidem jam evangelica historia ante hanc ultimam urbis vastitatem in plurimorum manibus versabatur. Salvator Matth. 24. inauditum significaturus excidium lapidem lapidi adhaerentem non relictum iri denuntiat. Et certe templum, conservata parte nulla, plane dirutum est, cui etiam aratrum inductum Turno Rufo, quem Judaei saepe & cum infamia memorant: quamvis vero Titus templi incendium prohibuerat; milites tamen hoc edictum nihil reveriti, sed divino quodam impulsu moti illud incenderunt, teste Josepho, cujus historiam de ultimo bello judaico non sine divina providentia hucusque conserva-

servatam ceu verum commentarium intuemur in oracula Matth. 24. Marc 13. Luc. 19, 30. 43. 44. & 21, 6-36. pro adserendo Jesu summi Prophetae honore contra recentes ethnicos. Imperatore Juliano Apostata quidquid vetustarum supererat ruinarum & fundamentorum, prorsus excussum est, cum Judaei templum denuo molirentur, & sic ipsimet ultimum Prophetiae complementum dedere, scil. lapidem super lapidem non mansurum. Subsecuta tum horribilia prodigia confirmant Amm. Marcellinus, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Gregor. Nazianzenus, Chrysostomus, Ambrosius. Tam luctuosus exitus ad literam impletus, toti mundo cognitus, hodiedum ob oculos positus, ut praedictus erat, nonne divinitatis caracterem infert & loquitur? Isa. c. 41, 21. 22. 23.

§ III.

Varia alia Jesu oracula.

Christus Matth. 23, 21. ad vivorum & mortuorum judicium se venturum praedicit, ubi Judaei vel inviti Messiam agnoscent, cui ante pascha ultimum adclamatum est ex psalmo 117, 26.: Benedictus, qui venit in nomine Domini; & tum hanc veritatem ad perennem sui confusionem compertam habebunt. Praeter plurima alia etiam Dominus Petri lapsum & negationem trinam, fidem ejus in Ecclesia nunquam defecturam, ejus martyrium & Apostolorum persecutiones praenuntiaverat. An ex iis omnibus, quae Servator de Spiritus sancti missione, de regni Dei propagatione, de victoria inter persecutiones referenda vel unum verbum in terram decidit? An ex privatis ad discipulos praedictionibus vel una rei, loci, tempo-

risve circumstantia fefellit? nonne ablegati discipuli asinum & pullum, coenaculum stratum, hominem aquam portantem repererunt? Nunquid discipulus ille, quem diligebat Jesus, ad verbum Domini Apostolos omnes vita longaeva superavit, & adventum Jesu adsecutus est Apoc. 1, 7. Annon Saulo, qui postea Paulus, Damasci & in persona Ananiae omnia, sicut Jesus in via nuntiavit, evenere?

De his vaticiniis, quae Propheta de Nazareth Galilaeae edidit, quid existimatis Bibliomachi? nunquid omnes verae Prophetiae caracteres sortiuntur, & ex eventu ipso confirmata sunt? Adflatum vatidicum a sola divinitate descendere, cognovere gentiles, eique vim probandi inesse, illum theopneustiae sigillum esse, quis poterit sanae mentis ambigere? forsan cum aliis oggeretis, vim prophetandi menti humanae connaturalem esse, praecipue dum mors instat, aut singularis tantum perspicaciae opus callidum esse, accidisse hos eventus mero casu, aut a Christianis post factum has lacinias esse confectas, has praedictiones gentilium oraculis non esse absimiles: vah pudeat quemvis incredulum, cum alias adeo fortes spiritus sint, in re summi momenti tam miserum in modum ineptire, & sanae rationi illudere, ut fidem christianam possint refellere!

Si Evangelica haec facta, quo tempore descripta apud illos, qui Jesu & Apostolorum gesta recente adhuc memoria tenuerunt, adeo nullam retulere contradictionem, ut potius omnigeni generis, ordinis & status viros ad amplectendam hanc veritatem permoverent: quid de hodiernis incredulis dicendum, qui animos inducere nolunt, ut credant, unicam christianam religionem Deo placen-

placentem esse, & securam ad salutem viam, utpote quae sola hoc Domini sermone facta est firma. Heb. 2, 2. quomodo effugient, si tantam neglexerint salutem, quae cum initium accepisset enarrari per Dominum ab iis, qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis & portentis & variis virtutibus & Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem.

§ IV.

Jesus Thaumaturgus.

Nemo potest haec signa facere, ... nisi Deus fuerit cum eo. Joan. 3, 2. Persuasum sibi habuit cum collegis suis Nicodemus, nec ulla naturae potentia, artibus nullis, sed sola divina virtute posse fieri coecorum illuminationem, resuscitationem mortuorum, sine mora solo verbo aut contactu perfectam & constantem omnis generis infirmitatum sanationem, copiosissimam panis multiplicationem; & talia prodigia Jesum patrasse ipse Mahomed in Alcorano testatur Sur. de Familia Amran & de Mensa: potiora miracula 35 P. Henriet in Harmonia recenset.

Equidem Origenes, Hilarius, Augustinus, Joan. Hierosolym. Jesu prodigia mystica etiam intelligentia more tum recepto, sicut Philo portenta Mosaica nonnunquam donarunt, sed ecquis eorum unquam literam & rem ipsam pernegavit? quare in vanum recidunt tum blasphemae Chubb, Woolston & Edelmann ineptiae ex sola criminandi libidine adversus Christi religionem adductae, tum infelices fabellae Judaicae de surrepto ex templo שם המפורש, & de arcano quopiam adversus morbos quosvis etiam pertinacissimos pharmaco,

quas naenias ipsas nunc tandem Judaeos erubescere compertum est.

Ista Servatoris prodigia cuncta veris characteribus insignita sunt, & V. T. portentis longe excellentiora, eumque in finem patrata, ut Jesus ceu verus Messias & Dei filius ab omnibus agnosceretur. Marc. 5, 19. Luc 8, 39. Joann. 2, 11, dum prodigia autem Salvator ad tempus celari voluit, discipulos de beneficiis suis silere, & daemonia jussit obmutescere, imo patefacto subinde miraculo aliorsum discessit; quid sequitur, si etiam imbecillitas nostra causam adferre nullam sciret? cum tamen sapientissima rationum momenta aeterna Veritas & Sapientia habuerit, quae destinato illo, quo voluit tempore, victima in cruce pro salute nostra offerri selegit. Sola impietas & stultitia Morgani, in hoc Mahomedo, Judaeis & gentilibus nequioris, latere dolum blasphemе effutiit, quinimo ad elevanda Jesu C. signa Aesculapii, Apollonii Thyanaei, Pythagorae &c. conficta miracula cum Porphyrio, Eunapio, Hierocle anteferre non horrescit, de quibus alias jam egimus.

Post Jesu C. ascensionem & Spiritus sancti descensum per Apostolorum praedicationem nomen Jesu ubique celebratum est, & innumera prodigia ac charismata tanquam veritatis divino adflatu & auctoritate adnuntiatae testimonia ac sigilla impertita sunt. Cfr. Matth. ult. Haec prodigia capitales Jesu hostes, ipsum synedrium non negarunt, etsi Apostoli iis plenam reliquerint agendi facultatem. Cfr. Act. 4, 5--22.

§ V.

Respondetur ad incredulorum dicteria.

Quae objectant increduli, e.g. neque fratres ejus credidisse in ipsum Joan. 7, 5. illum non potuisse

tuisse virtutem ullam in patria facere Marc. 6, 5. perpaucos de plebe, nonnisi Samaritas ac Idumaeos fuisse conversos, reliquos mansisse infideles; detorta sunt, & falsissima male ingeniosorum in suam perniciem hominum commenta, neque de Jesu miraculorum veritate quidquam decerpunt; nam fratres ejus sive cognati ex Mariae Virginis genere cum in Messia exspectarent pompam, optabant, ut ad consequendam nominis celebritatem ex Galilaeae latebris Jerosolymam se conferret, quo ejus auctoritas per synedrium probaretur, & ex suo ingenio Jesum metientes, de fama ejus suam captabant gloriam, utique tum Messiam illum esse, & Dei filium necdum credidere.

Noluit Christus plurima apud suos Nazarethanos facere miracula, propter pertinacem incredulitatem cum iterato despectu conjunctam. Cfr. Matth. 13. & Luc. 4. quia se reddidere indignos, nec decuit, ut priora spernentibus plura ingereret: alias petentibus & credentibus plura concessit, ut fidem jam inchoatam in ipsis confirmaret & perficeret. Hebraismus: Non posse sive Nolle SS. Literis familiaris habetur in Gen. 18, 17. Deut. 12, 17. Marc. 9, 22. Joan. 12, 39. & alibi.

Ultimum genus convicii sat confutatur ex Evangelio. Nonne ipsi Pontifices & Pharisaei dicebant Joan. 11, 47.: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Et c. 12, 19.: Ecce mundus totus post eum abit; annon Joan. 12, 41. ex Principibus multi crediderunt in eum? sed propter Pharisaeos non confitebantur, ut a Synagoga non ejicerentur. Hos inter proceres fuere Nicodemus, Joseph ab Arimathia, Gamaliel &c. Coecitas profecto Judaeorum, durities, praeconceptae opiniones signa haec tam parum extenuant,

ac

ac obſtinata Pharaonis & Aegyptiorum reſiſtentia, Jezabelis adverſus Eliam Thaumaturgum inſidiae priſca illa prodigia potuere ſuſpicioni ſubleſtae objicere.

§ VI.

Doctrina Evangelica divina eſt.

Si igitur Jeſus a Deo miſſus eſt, etiam doctrinam evangelicam divinam eſſe, neceſſe eſt; id quod opere & ſermone ſaepenumero demonſtravit, praecipue Joan. 5, 21. 25. ubi Dei filium ſe comprobaturus eandem Patris omnipotentiam ſibi attribuit, qua ex voluntate ſua mortuos ſuſcitare poſſit & vivificare, omneque facere judicium: quapropter eundem cultum latrevticum Patri debitum pariter & ipſe ſibi deferendum praecipit. Cfr. v. 23. Divinas has praerogativas non Patri ſolum, ſed etiam Spiritui ſancto proprias eſſe, incarnata Sapientia docet Matth. 28, 19. Joan. 15, 26. 16, 13. 14. 15.

Ca-

Caput VI.

Salvator ut scandalum crucis de cordibus discipulorum tolleret, nec conturbaret eorum fidem humilitas passionis, coram Apostolis tribus transfiguratus est. Deinde vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, oblatus est, quia ipse voluit, & sicut ovis ad occisionem ductus.

§ I.

Christi transfigurati mysterium.

Sicut futura Jesu C. gloria tres habuit e coelo totidemque de terra testes 1. Joan. 5, 8. ita & praesens gloriae adparatus voluptatis magnitudine admirabilis tres quasi de coelo testes obtinuit, aeternum Patrem, Mosen & Eliam, atque tres de terra, Petrum, Jacobum & Joannem, quos ut agonis in horto, ita & transfigurationis in monte & mysteriorum &c. voluit habere testes conscios. Siquidem Petrus in apostolici senatus principem inaugurandus, Joannes post Apostolorum omnium exitum adhuc superstes id mysterii ad consequentem aetatem viva voce & scripto erat transmissurus. Cfr. Joan. 1, 14. Jacobus vero omnium primus profuso sanguine hoc testimonium obsignaturus: & haec selecta trias Apostolorum fuit, qui non gustarunt mortem, donec viderent filium hominis venientem in regno suo Matth. 16. 18. Jam dudum invaluit opinio, fuisse montem Thabor.

Cfr.

Cfr. S. Hier. in Epitaphio Paulae, & huc facile Jeſus intra ſex dies e finibus Caeſareae Philippi potuit advenire. Reſplenduit facies ejus, ſicut ſol, Matth. 17, 2. & veſtimenta ejus facta ſunt &c. Marc. 9, 2. radiis ſcil. ex ſacratiſſimo corpore per veſtimenta erumpentibus, ſicuti radii ſolis per nubem ſubjectam promicant. Plerique olim niveis togis erant veſtiti, quas ſi fors ſordes inquinarunt, eluendae fullonibus tradebantur, qui, ut notat Plinius Lib. 35. c. 15. & 17. addito ſulphure & creta iterum eas candefecerunt. Longe igitur juxta S. Marc. candidiores erant Jeſu veſtes, quam illas peritiſſimus fullo potuiſſet reddere. Moſes & Elias Luc. 9, 31. dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Jeruſalem, qui legis & Prophetarum ſcopus. ἔξοδος apud ſacros & profanos mortem ſignificat: quam abſurdo nimis commento Woolſton ſecundum librum Moſis intelligit, & de hoc, quomodo illum Jeſus in novo Jeruſalem eſſet completurus, locutum eſſe Salvatorem, more ſuo nugatur!

Trium Apoſtolorum omni exceptione majorum teſtimonio tam excelſi myſterii ac prodigii veritas comprobatur. Quam inique hic & proterve repoſcunt increduli, oportuiſſe Jeſum hoc gloriae ſuae ſpectaculum populo univerſo, infidelibus cunctis exhibere, hisque eos deliciis coeleſtibus paſcere? quam ſtolide excandeſcunt, Moſis & Eliae cum Jeſu ſermones non eſſe deſcriptos, & tandem Jeſum vetuiſſe, hanc viſionem propalari. Si ex SS. PP., aliisque viris piis ac doctis nullam horum congruam rationem adducere quis poſſet, nunquid terra & cinis impie conſiliis ſuis contra Dominum ſuperbiet?

§ II.
Christi Passio.

Verba supra citata sunt Isaiae evangelici Prophetae c. 53. quibus acerbissimos Christi cruciatus describit, dum iniquitates nostras ferens, in ara crucis se pro salute nostra hostiam devovit "Voluit, ait Hector Pintus in cit Isa. pag. 226. edit. Paris. summus ille Deus, qui naturam universam immensa virtute sua coercet & continet, ut a nobis perniciem averteret, indignissimas contumelias pati, inauditas ignominias accipere, crudelissimis flagellis percuti, durissimis clavis adfigi, spinea corona coronari; & in ligno tandem suspendi & mori, quod mortis genus tunc erat infame.... Facies illa sacratissima, quam Angeli aspicere desiderant, quae fuerat in transfiguratione rutilans, ut sol pulcherrima & splendidissima, modo denigrata est, alapis & livore saucia, sputo, pulvere, lacrymis ac sanguine conspersa." Increduli, quos tanta Jesu C. inter latrones enecti &c. &c. humilitas offendit, & quibus 1. Pet. 2, 8. ille positus in Sion lapis summus, angularis, electus, pretiosus, sed ab aedificantibus reprobatus, fit lapis offensionis & petra scandali, potius cogitent, quod non obstante hoc velo divinitatis solem obtegente, nequeamus pellucentes Dei-hominis radios diffiteri. Nonne in majorem Jesu gloriam cedit, quod tam clara vaticinia hanc Messiae humilitatem praenuntiarint, quam si absque praemissis oraculis in summa majestate adparuisset?

§ III.
Antilogia quoad crucifixi Jesu horam componitur.

Bibliomachi quoad Jesu crucifixi horam SS. Evangelistas Matth. 27, 45. Marc. 15, 24. 25. Luc.

23, 44. Joan. 19, 13. 14. nulla ratione conciliari posse clamant. Missis diversorum sententiis advertendum est, 24 horarum spatium, quibus dies constat, more judaico in 8 partes fuisse divisum, quarum unaquaeque trium horarum fuerat, scil. prima, tertia, sexta & nona, & sic reliquae juxta noctis vigilias: ita Hephaestion Thebaeus in quatuor Trihoraria tempora divisum fuisse diem dicit L. 3. c. 8. Varro de L. Lat. V. Hoc Idem Colconius in Actionibus scribit: Praetorem solitum esse jubere, ubi ei videbatur, horam esse 3, inclamare, horam esse tertiam, itemque meridiem & horam nonam. Illae etiam erant horae precum, & interdiu ascendendi in templum. Cfr. Act. 2, 3. 10. & Tertull. Lib. de jejunio c. 10. S. Chrys. Hom. 59. ad pop. Antioch. S. Hier. in c. 6. Dan. S. Isid. Lib. de off. Eccles. c. 19. & unaquaeque statarum horarum tubae sonitu pios convocantis significabatur. Non modo autem tempus, quo ea hora advenerat, & data fuerat, sed totum etiam trium horarum spatium, donec sequens audiretur tuba, ejusdem horae nomine significabatur. Adposite igitur a S. Marco dicitur hora tertia, cum illud temporis spatium, quod a tertia hora nomen trahebat, nondum praeteriisset, quamvis finis ejus instaret, immineretque signum tubae ad indicandam horam sextam. S. Joannes vere etiam dixit: Hora quasi sexta, cum illius significandae immineret indicium. Evangelistae igitur divinum morientis Jesu mysterium describentes horis sacris, iisque notioribus usi sunt, quibus preces & sacrificia solebant fieri. Nihilominus ex Matth. 20, 3. 5. 9. 12. 27, 45. Joan. 1, 39. 4, 6. 52. 11, 9. 19, 14. & coll. supra cit. aliisque locis S. Script. & Flav. Jos. jam duplicem horas computandi morem fuisse usitatum adparet. Alii

Alii exiſtimant, a S. Marco veram Jeſu crucifixi horam deſcribi; verum a S. Joanne tantum adnotari quotam horam, ſcilicet quaſi ſextam, qua poſt latam in nocte mortis ſententiam a ſynedrio, iterum Pilatus Jeſum morte condemnarit.

§ IV.

Reſpondetur incredulis.

Hoſtes Jeſu nunc poſt ſeptemdecim ſecula & hoc amplius blaſphemant, quod Apoſtoli primum ſuum de Meſſia ſyſtema paucis poſt paſſionem diebus immutarint, & Jeſum ex terreno rege, quem deſiderarunt, nonniſi ſpiritualem & patientem confecerint Servatorem: Scribas, Phariſaeos, iniquos judices excuſant, Jeſum vero condemnant: ita auctor fragmenti de ſcopo J. & D. Quis de diſcipulis Jeſu a prima infantia piſcando & laborando deſtinatis id ulla criſi cenſeat? ſi etiam hoc ſyſtema recens excogitarint, & divulgarint; quis conceperit, tot viros ad omnes vitae dies in eo pertinaciter ſubſiſtere potuiſſe? Num inanis fabula & fictum quoddam teſtimonium tam heroicos valet animos injicere, ad cruciatus atrociſſimos eosque continuos Judaeos inter & gentes perferendos? humanam indolem haud novit, aut renuit noſſe, qui tam inepte & ſtulte arbitratur. Quid in hominum animis poſſint evincere opprobria, rerum omnium egeſtas, fames, carceres, ferociſſima exquiſitae mortis ſupplicia, docet experientia. Sed Apoſtoli Jeſum poſt paſſionem & mortem reſurrexiſſe una omnes conſtanti ad fata uſque confeſſione teſtati ſunt. Et ſi hoc teſtimonium nonniſi ab ementito profectum fuerit ſyſtemate, Apoſtolis viros ſimiles natura rerum non protulit; ſed

condoceant hostes Evangelii, tam acuti philosophi, qua ratione discipuli Jesu & eorum asseclae in tale tamque inauditum hominum genus abierint.

Transmittamus interim tam incredibilem Apostolorum metamorphosin. Verum quo fato, quo enthusiasmo accidisse dicent, ut pariter ab Apostolis, viris rudibus, pavidis & illiteratis tot Judaeorum millia tam ingentibus animis Jerosolymae, ubi paulo ante Jesus in cruce obiit, accenderentur, ita ut eorum multi pro doctrina de Jesu resurrectione acerbissimas persecutiones & mortes sustinerent. Cfr. Act. 8, 1. 26, 10. Unde factum, ut eodem seculo Romae imperante Nerone Christianorum multitudo ingens sub quaesitissimis poenis non fatisceret? "Pereuntibus enim addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus adfixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Cfr. Tacit. Ann. Lib. 15. Suet. vit. Neronis. Ita viri, mulieres, juvenes & pueri, diversique omnis sexus & status homines in suppliciis, ad quae heroes quique fortissimi pavent ac deficiunt, constantes interemti sunt. An fictum de patiente Servatore systema hoc invictum robur instillarit? Erubescant impii ita delirare!

Quomodo Paulus, cum fureret contra Jesum tam sibi infestum, cfr. Act. 22, 6. & 26, 12. ita subito immutatus est? ubinam praedictum systema hausit, qui Apostolorum vidit neminem? cfr. Gal. 1, 12--17. an gloriosam Jesu adparitionem ipse ementitus est? sed quem in finem? cui commodo suo? quomodo si coecus non fuerit, postea coecum se esse potuit opinari, & Ananias ipsum sanavit? Forsan Christiani, quos persecutus est, aprica die, in via publica, praestigiis ipsum deluserunt, ut audiret

diret vocem coelitus delapsam, ac lucem ex alto collustrantem cerneret, & hoc fato oculorum privaretur lumine; sed tunc Christiani omnes aberant. Vah commiseratione, non refutatione dignos incredulos!

CAPUT VII.

Surrexit Dominus vere, & praebuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis per dies quadraginta adparens & loquens de regno Dei & convescens.

§ I.

Gloriosa Jesu Christi anastasis.

Gloriosissima Jesu C. anastasis, quae divina inter miracula nobilissimum, spei nostrae ac resurrectionis ad beatam vitam amabile pignus, imo christianae fidei basis firmissima, a Judaeis & gentilibus nunquam non impugnata est. Etsi illorum arma invicti primitivae Ecclesiae pugiles ita eliserint & attriverint, ut in posterum & malitia seipsam confoderet, & nolens veritati christianae suffragari deberet, hodie tamen recentibus ethnicis illa denuo adrident; cumque robur deficere, aperte cernant, in supplementa horum ad convicia inficere, acerbe, & impie concinnata blasphemi dilabuntur, quibus omnis sexus, aetatis & status hominibus Christi religionem eripiant: quotquot sunt resurrectionis hostes, Evangelicae historiae testibus controversiam movent; sed frustra.

 Nam

Nam cum decem post Jesu resurrectionem adparitiones Evangelistae referant, testes sat multi sunt: & 1. Cor. 15, 6. aliquando plus quam quingenti fratres, partim mortui, partim S. Paulo coaevi fuerunt, qui Jesu personam, dicta & gesta, promissiones, reprehensiones, praecepta & miracula una omnes, auribus & oculis, saepe & diu, per 40 dierum cursum accepere, & haec omnia statim in ipso eventus loco, ad portas Jerusalem, in plateis & synagogis, serio & frequenter, jurando & obtestando per Jesu nomen, non sine thavmaturga virtute testificati sunt, quo tempore urbs nationum omnium scatebat advenis, ita ut judices Sanhedrim ad pauperum & illiteratorum piscatorum testimonia & invectivas obstupescerent Act. 4. Certe qui dolosa machinantur, perpaucis tetra sua communicant consilia: Impii & versipelles solum facinora eaque clandestina meditantur; hi vero testes ut fuerunt simplices & idiotae, ita vitae purissimae, omnibusque ornati virtutibus. Cfr. Eus. Hist. Eccles. Lib. 3. c. 24. nam verbo & opere vitia omnia profligarunt, & cultum Dei purissimum ubivis praedicarunt ac invexerunt. Et hoc testimonium, in quo ad mortem usque perstitere, ex Salvatoris praedictione potentissimos hostes, omnium odia, saeva pericula, cruciatus, & acerbissimam his viris necem concivit, cum alias omni praesidio ad magna molienda sese destitutos esse, affatim scirent. Quam multa apud profanos citra omne dubium rata & certa habent increduli, ubi tamen perexiguus testium numerus accedit, qui etiam adhuc epicrisin poscunt? eccur autem hoc factum omnibus moralis evidentiae notis praeditum rejicere conantur? utique quia tam sublimi mysterio, tam stupendo prodigio capiendo impares habent vires, ast

hic

hic extra oleas vagantur, cum infinitam Dei potentiam, ſapientiam, veritatem & bonitatem oporteat perpendere...., Praeclare Didacus Stella O.N. Enarrat. in Luc. c. 22. Edit. Antv. pag. 302. probat, Pontifices Annam & Caipham, Phariſaeos & Scribas, quorum maxime interfuerat, reſurrectionem non evenire, de illa tamen reipſa perſuaſos fuiſſe & convictos, fidemque plenam cuſtodibus habuiſſe.

§ II.

Mendacium de corpore Chriſti furtim ablato.

Quid minus veriſimile, quid aeque inſano excogitatum conſilio, quam Principum & Seniorum ad milites reſponſum: Dicite, quia diſcipuli ejus nocte venerunt, & furati ſunt eum, nobis dormientibus? Nonne diſcipuli Jeſu Magiſtro ſuo utprimum capto ex panico terrore Judaeorum conſpectum fugerunt, latebrisque pavidi & moeſti ſe occluſerunt? & quis crediderit, hos auſos fuiſſe, de nocte corpus Jeſu ſurripere, quod decenti tumulo in horto, a pari Jeſu diſcipulo fuerat illatum, praeſertim cum pernoſſent ſepulchrum ſignatum ab excubiis cuſtodiri, & de reſurrectione ejus interea nihil cogitarent. Sique etiam corpus hoc fuiſſent ſuffurati, cur Petrus &c. iterato ad ſepulchrum accelerat? cur vacuum cernentes Apoſtoli & mulieres obſtupeſcunt? ſi doli fuerint ſibi conſcii, quid ad inanem tumulum adſtant? num periculoſum nimis mendacium ubivis potuiſſent & voluiſſent diſpergere, ac ſi a morte reſurrexiſſet, quod quidem nonniſi opprobria, perſecutiones, mortemque iis atrociſſimam concitaſſet; & cum poſtea reſurrectionem toties invicte adſererent, cur nunquam de hoc facto objurgati ſunt? Cfr. Act. 4, 6. 5, 17, 28.

Ex parte custodum etiam narratio nimis incondite conficta est; nam incredibile cuivis videri debet, somnó tam alto omnes simul fuisse abreptos, ut ex discipulorum adventu, strepitu, lapidisque revolutione, labore in auferendo corpore plane nullus excitaretur, ut fures corpus deferentes una insequerentur. Si vero nullus sopore expergefactus est, quomodo furtum contigisse contestari potuere? eccur discipuli & mulieres non ad judicium compulsi sunt? cur aedes non perlustratae, & tormentorum vi illata rei gestae veritas extorta est? qua de causa discipuli linteamina & sudarium non sejunxerint, & corpus nudum voluerint praedari? Cur Sacerdotes vigiliarum socordiam, & tam perniciosam negligentiam non severe Romanorum more puniri fecerunt, sed potius pecunia praemiati sunt? quam misere haec sacerdotum & militum dicta inter se cohaerent! nihilominus hac tam impudenter mentiendi licentia hujus farinae homines sibi consultum ivere.

§ III.

Hanc furti circumstantiam solus S. Matthaeus retulit.

Inter Evangelistas S. Matthaeus solus hanc Synedrii stropham & sepulchri custodias memorat, quia Christianis Palaestinis & in Jerusalem commorantibus scripsit; oportuit itaque hujus calumniae Apostolis impactae de furto non solum meminisse, sed etiam adynaton & hujus accusationis docere originem. Apostoli vero ceteri procul Jerosolyma & serius exararunt, hinc eam circumstantiam praeterire poterant. Mirum etiam non videri debet, quod Apostoli reliqui in SS. Literis de ea non

memi-

meminerint; nam perpaucae apologiae coram Sanhedrim & populo habitae a S. Luca & quidem quoad potissimam tantum partem narrantur, ex quibus Apostolorum sermonibus non de integro conscriptis incertum manet, quid protulerint, nec ne. Et si Apostoli hoc falsum, ut a S. Matthaeo narratur, nunquam Judaeis exprobrassent; num propterea a S. Matthaeo confictum erit? An necesse est, ut Apologeta pro vindiciis suis eloquatur omnia, immemor regulae a Petro 1. Pet. 3, 15. 16. datae. Certe prodigia in nomine Jesu perfecta Act. 4, 19. ceu testimonia publica coram synedrio adlegata gloriam Jesu & resurrectionis veritatem luculentius demonstrarunt, quam exprobratio de corrupta Romanorum militia, quam in jus vocati per ipsa testimonia excubitorum rem fatentium difficile potuissent probare. Annon corruptio iterata negotium hoc turbasset, aut penes Pilatum Judaei effecissent, ut milites Jerosolyma aliorsum mitterentur?

§ IV.

Discipuli Jesu resurrectionem primum difficulter credidere.

Resurrectio non Apostolis solum, sed aliis quibusque articulus creditu difficillimus fuit. Divina, ait cit. Stella, dispensatione permissum esse, ut Apostoli cum reliquis discipulis existimarent mulieres tanquam deliras, ad firmitatem fidei nostrae, & hinc perpendamus, non faciles eos fuisse ad credendum, & quam verum sit, Christum resurrexisse a mortuis, cum hoc crediderint homines, & praedicaverint animo obstinato ad credendum. De hoc pertinaci dubio cfr. Marc. 16, 13. Luc. 24, 11.

Joan. 20, 25. Salvator igitur Luc. 24, 41. Apostolis non credentibus & admirantibus prae gaudio redivivi corporis sui veritatem tribus argumentis corroboravit: judicio visus accurato, judicio tactus, & cibi sumtione; unde Apostoli Act. 10, 41. manducavimus, aiunt, & bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis; vera hac, non disconveniente manducatione haud Dominus, sed infirma Apostolorum fides indiguit. Cfr. S. Aug. 49. quaest. 1. Edit. Antv. "manducavit non ficto & inani phantasmate, sed manifestissima veritate, nec tamen necessitate, sed potestate; aliter enim absorbet terra aquam sitiens, aliter solis radius candens: illa indigentia, iste potentia: futurae ergo resurrectionis corpus imperfectae felicitatis erit, si cibos sumere non potuerit, imperfectae felicitatis, si cibis eguerit.

§ V.

Antilogiae quoad resurrectionis circumstantias.

Evangelii hostes ut prisci gentiles sacram resurrectionis historiam complures inter contradictiones ab Evangelistis descriptam clamant, dicuntque cum Edelmanno in Prof. F. & anonymo Fragm. Guelpherbytani auctore, qui vir Christo & ejus doctrinae quam infensissimus, quem Lessing produxit.

Luc. 23, 56. piae mulieres aromata ad ungendum Jesum in die parasceves sub vesperum, ante sabbati ingressum sive primae diei paschalis coemunt, & Marc. 16. 1. die sabbati, dum jam praeterierat, sub vesperum, nostro loquendi more.

Joannes (hoc teste Joseph ab Arimathia & Nicodemus Jesum more Judaeis solenni sepelierunt) nihil, quod mulieres Jesum essent etiam uncturae, memi-

meminit; aſt Marcus & Lucas, qui tantum dicunt, quod Joſeph ab Arimathia Jeſu corpus ſindone ſua involverit ſolum, itaque non unxerit, adducit, quod mulieres tumultuariae hujus ſepulturae teſtes, elapſo ſabbato, etiam corpus Chriſti cupierint ungere.

Apud S. Joannem Joſeph cum Nicodemo perficit omnia, nihilque agunt mulieres, neque acturae ſunt; ſed apud Marcum & Lucam praeterea mulieres ſero meditantur facere, quod Joſeph aut oblitus erat, aut ex penuria temporis praetermiſit.

Matthaeus illud dicit, quod coram M. Magdalena & Maria altera accidit; at idipſum mulieribus ſepulchro appropinquantibus jam peractum fuiſſe, & ſic repertum, ceteri Evangeliſtae adſerunt.

Quod Angelos concernit poſt anaſtaſin conſpicuos prope vel in ſepulchro, neque quoad locum & numerum, neque ſermones Evangeliſtae hic concordant.

Apud Lucam Maria Magdalena & mulieres cet. Simoni Petro, Joanni &c. diſcipulis compertam ab Angelis Chriſti reſurrectionem nuntiant; apud Joannem Maria Magdalena ſola Petro & Joanni ſolis, apertum eſſe ſepulchrum, & corpus Domini ſurreptum ſignificat.

Juxta Matthaeum Jeſus redivivus Mariae Magdalenae in reditu ad urbem adparuit, ſed id ante oſtium monumenti contigiſſe S. Joannes teſtatur.

Auctore S. Matthaeo Jeſu pedes mulieres amplexantur. Ipſe Jeſus, ſcribit Lucas, undecim congregatos animat, ut corpus ſuum tangant. Et juxta Joannem Thomas Jeſu corpus contrectare, ab eo jubetur; ſed idem Evangeliſta ſolam Mariam Magdalenam id agere vetitam eſſe perhibet.

Matthaeus & Marcus docent, quod Jeſus a mortuis redux ſtatim tum per ſe, tum per Angelos

prope ſepulchrum, tum per reverſas mulieres diſcipulos in Galilaeam acciverit.... Apud Lucam Jeſus iisdem eodem reſurrectionis die praecipit, ut una omnes Jeroſolymis perſiſterent, dum Spiritus ſanctus effunderetur ſuper eos, quod die Pentecoſtes evenerat.

Juxta Matthaeum adparitio facta eſt in monte Galilaeae, ad quem Jeſus diſcipulos vocarat: juxta Joannem vero contigit ad maris Galilaei littus prope Tiberiadem, ubi circumſtantiae prorſus inter ſe diſcrepant.

Ex S. Matthaeo adparitio in Galilaea prima eſt; ex Joanne autem eſt tertia.

§ VI.

Componuntur antilogiae quoad Jeſu unctionem.

Evangelicam iſtam dominicae Reſurrectionis hiſtoriam ad normam quatuor Evangeliſtarum ita proponimus & vindicamus: Joſeph & Nicodemus (juxta complurium ſententiam) more Judaeis uſitato corpus Jeſu terrae mandarunt Joan. 19, 40. aromata & ſine dubio unguenta ſimul adhibuerunt, quia Joannes, dum ſolus hujus circumſtantiae memoriam tranſcribit, enarrat, quod Jeſum ex Judaeorum, qui unguenta etiam ut ceteri Orientis populi uſurparunt, conſuetudine tumularint. Et quomodo alias cogitatio, Jeſum ungendi, mulierum animos ſubiiſſet? Hae ipſae toti erant ſepulturae praeſentes Matth. 27, 61. Marc. 15, 47. Luc. 23, 55. itaque reſcierunt, Jeſum ex Judaeorum moribus unguento jam delibutum eſſe, nihilominus etiam illae & quidem iteratam in Jeſu pollincturam juxta Marcum & Lucam meditatae ſunt. Plerique id propoſitum adſcribunt ardentiſſimo erga Jeſum amo-

amori: ceteri ex eo factum opinantur, quod Joseph & Nicodemus opus hoc ante ortum sabbati adhuc peragendum valde accelerarint, ideoque mulieres secum reputarint, quod non omnia pro dignitate Jesu exacteque ad Judaeorum consuetudinem sint gesta & observata. Joannes quidem scribit, morem Judaeorum esse observatum, & c. 19, 39. venisse Nicodemum ... ferentem mixturam myrrhae & aloes, quasi libras centum; nihilominus mulieres opinari contrarium poterant, & laborem frequentare. Qua vero de causa mulieres id consilii ceperint, necesse haud est, definire, rationumque momenta propositi hujus proferre, nemo tenetur, dum satis elucet, quod id secum decreverint, juxta duos Evangelistas, quibus alii non contradicunt.... Certe factum aliquod legitimo testimonio suffultum stolide quis inficiabitur, eoquod rationes ejusdem nequeant adlegari, easque Historicus ipse reticuerit; Joannes igitur ab Evangelistis aliis non discordat, de mulierum enim proposito nihil exarat. Ita plerique Recentiores antilogiam componunt.... Sed praestat ita respondere: S. Joannes haud cit. loco testatum facit, quod Joseph & Nicodemus omnia ex Judaeorum ritu prope adsistentibus mulieribus exacte praestiterint. Certe ex verbis: Ligaverunt corpus linteis cum aromatibus, id non commonstratur? quis hic non in contextu videt verborum synchysin? colligarunt quidem ex Judaeorum consuetudine corpus linteis, non aliarum nationum more illud tumularunt; sed quem in modum aromata adplicarunt? ex 2. Paral. 16, 14. 21, 19. 20. Jer. 34, 5. ex Joseph Antiqq. Lib. 17. c. 10. & de Bello Jud. Lib. 1. c. 21. aromata in divitum sepulchris sunt accensa, sed in Jesu corpore num pollinctura etiam peracta est? ut certum

tum tenent ex S. Joan. Equidem Fragmenti auctor dicit, Jesum praesentibus ac opitulantibus mulieribus fuisse unctum a Joseph & Nicodemo, ut sic Evangelistas inter se discordantes possit criminari; sed quis Evangelista haec eloquitur? igitur non secum discrepant; at vero ementita narratio adversarii ab Evangelistis discrepat.

Quod attulerint mixturam myrrhae & aloes quasi libras centum, fidem non excedit, si temporis illius perpendimus mores. Sic ex Talmud. Tract. Semachat c. 8. narrat Wetsteinius: Cum mortuus esset R. Gamaliel Senior, combussit super eum Onkelos proselytus LXXX libras opobalsami. Myrrha & aloe sive potius Agalochum pretiosissimum lignum, cfr. Ps. 45, 9. ad suffiendum jungi solebant. Verum de unguentis & odoratis aquis ad ungendum Jesum adhibitis altum Evangelista silet, quod si factum esset, profecto mentionem hujus non omisisset. Haud dubie ob sabbati statim impendentis initium, necessariamque festinationem, aliisve de caussis tum quidem notis praetermissa est unctio. Igitur haud mirum, mulieres id animo concepisse, ut, dum in vivis tam sincero amore, summaque veneratione Jesum prosecutae fuerant, ultima justa huic funeri eo modo solverent, qui amicos & praecipuos in Judaea viros decet. Et quis scriptores sibi adversari jure dixerit, si eorum unus rerum adjuncta adleget, quae alter praeterit? Ergone silentium antilogia est? hac ratione soli ii scriptores fide digni essent, qui ex aliorum lucubrationibus verbum de verbo expressum efferunt, reliqui vero omnes fundent mendacia; & sic etiam de profanis scriptoribus actum foret e. g. de Livio, Floro, Dionysio Halicarn. aliisque Romanae historiae scriptoribus, qui potissima quidem recensent,

ſent, cum tamen Livius longe plura enarret, quae alii praetermiſerunt.

Sepultura Jeſu fiebat ſub paraſceves veſperam ineunte mox Sabbato. Luc. 23, 54. Και ἡμερα ην παρασκευη, και σαββατον ἐπεφωσκε: Muliéres conceſſere in civitatem: aromata paraverunt & unguenta v. 56. Juxta Marcum finito jam ſabbato illa nundinatae ſunt, Marc. 16, 1. & hic nulla adeſt antilogia; nam Lucas tantum ſcribit: Ητοιμασαν ἀρωματα καὶ μυρα: Praepararunt, vel praeparare voluerunt, ſive deſtinarunt: itaque ſe res habuit.... Lucas ſtatim ſubdit, quod ſabbato ex praecepto legis quieverint. Neque exegeſis iſta ab hebr. dialecto aliena eſt, ſed potius ad textus permultos rite intelligendos neceſſario adplicanda, e.g. Gen. 22, 12. 16. Exod. 12, 48. 16. 23. 1. Reg. 21, 9. Ezech. 24. 13. Similiter in N. T. canon ille hermeneuticus locum habet, cfr. Matth. 5, 23. cum v. 31, 39. & c. 11, 8. verſu, quidni hoc loco Luc. 23, 56. dicta valeat expoſitio? Exſpectabant igitur ſabbati elapſi finem, ut diſerte Marcus adſerit, & tum neceſſaria adquiſierunt. Lucas haec quoad adjuncta ſingula non eloquitur, quia de ſe jam ſat intellectu facilia. Die Veneris haec ſub veſperam agere molitae ſunt, ſed nequierunt propter ſabbatum, itaque die hoc requieverunt, & ſequente die ſolis mane aromata & unguenta ad manus erant, ad ſepulchrum deferenda. Num oportuit, Lucam praeterea ſubjicere, haec aromata finito ſabbato modo eſſe coemta? Lucas haudquaquam meminit, quod mulieres aromata ſub veſperum mercatae ſint, alias vere a Marco diſſentiret, ſed tantum quod paraverint, ſive id agere propoſuerint, ſed ingruente ſabbato fuerint praepeditae. Aſt quid multa? tyro quivis linguarum rudis longe aliam formaſſet exegeſin. Et au-

auctor fragmenti pag. 466. & 472. non erubeſcit SS. Evangeliſtas inſimulare contradictionis! an cit. auctor vel ſemidoctus meretur dici? . . . ſin autem vir fuerit literatus; proh! quid quantumve valet etiam apud Sophos conceptum contra religionem odium?

Die Solis ſummo mane ex propoſito in viam ſe dederunt mulieres Marc. 16, 2. Luc. 24, 1. Juxta Matth. c. 28, 1. Οψε δε σαββατων, τη επιφωσκουση εις μιαν σαββατων: cum verſiones hic multae ſubobſcurae ſint, aliae non ſatis accuratae, verba ita exprimimus: Poſtquam ſabbatum erat finitum, & prima hebdomadae dies (dies ſolis) prope illuceſcebat. Graecum οψε juxta optimae notae philologos & ſcriptores Graecos perſaepe nihil aliud denotat, quam finem, decurſum hujus, illiusque temporis. Conſentiunt Grotius, Eraſmus, Schmidtius, Krebſius, Loſſnerus &c. & ſicut Hebraei pro ראשון primus utuntur voce אחד unus, cfr. Gen. 1. 5. ita etiam Evangeliſtae adhibent μια pro πρωτη. Alias Judaeorum mos erat, primam, ſecundam & tertiam hebdomadis diem &c. adpellare אחד תרי שלישי בשבת & ſic porro. Idcirco ſupervacuum eſt, adſerere, vel potius comminiſci, quod mulieres jam ſemel die ſabbati ſub veſperum acceſſerint ſepulchrum, ut perluſtrarent omnia; totam enim Matthaei narrationem haec opinio obſcurat, turbat, ineptamque reddit, & ceteri Evangeliſtae id genus veſpertinum acceſſum viſitationemque non memorant. Matthaeus diem intelligit naturalem, non vero legalem alium ex computu Hebraeorum, id quod etiam reliqui Evangeliſtae innuunt: exeuntibus caligo adhuc incumbit, ſed in via dieſcit.

§ VII.

§ VII.

Mulierum accessus ad sepulchrum explicatur.

Mulieres nominantur 1) Maria Magdalene, 2) Maria Jacobi & Josis mater Marc. 16, 1. Luc. 24, 10. Marc. 15, 47. 3) Salome, cujus quidem Lucas non meminit, sed eam sub aliis comprehendit Luc. 24, 10. & 4) Joanna, de qua tantum Lucas, non vero Matthaeus & Marcus faciunt mentionem. Juxta istas aliae adhuc adfuere mulieres Luc. 24, 10. quae simul convenere ad sepulchrum. In via de lapide revolvendo anxie inter se quaerunt & deliberant; ast iter prosecutae animadverterunt, illum jam esse revolutum. Marc. 16, 3. 4. quod juxta Marcum, utpote oriente jam sole non adeo procul illinc poterant conspicere.... Sicut lapidem ab Angelo adstantibus ac cernentibus mulieribus revolutum esse, ex Evangelistae Matth. dictis c. 28, 1. 2. probari nequit, ita pariter milites sepulchri custodes adhuc adfuisse, non liquet. Imo lapidem sigillo munitum fuisse, & milites Romanos adcubare, verisimile est, mulieres pariter latuisse.

Hoc viso ad urbem Maria Magd. revertitur, ubi Petrum & Joannem offendit, qui modo etiam exeunt Joan. 20, 1. 3. sequitur Maria Magd. & ad sepulchrum consistit, cum Apostolus uterque redeunt v. 11. etsi illud Evangelista nullus percenseat, ex Joannis tamen narratione consequitur. Sine dubio una cum mulieribus aliis exierat, etsi illius solius meminerit Joannes, ut repeteret & suppleret, quod Evangelistae, quos ante se habuit, praetermisere. His igitur perpensis, cum sola Petro & Joanni occurrat, illam ex ceterarum comitatu discessisse adparet: forsan etiam praecucurrit, & sic non amplius mulierum societati juncta fuit, cum

etiam

etiam istae sepulchrum perspicerent. Si autem coetui adhuc interfuit, inconveniens nihil ex eo poterit erui, quod Magdalena abierit, & reliquae aliquamdiu perseverarent. Magdalena non formidine perculsa discedit, sed desiderio accensa, primum hoc deferendi nuntium, in hoc non absimilis homini, qui ferventiore calens spiritu repente a primo desistit proposito, cum interea remissiore animo studioque actus ceptis suis ad finem usque insistat. Necesse (ita plurimi censent) hic non fuit, ut sepulchrum inviseret, Jesum enim surrexisse, secum non reputavit, nec aliquamdiu postea id cogitavit, v. 13. Id solum multis de causis animo versabat, corpus Jesu furto esse sublatum, & ab hostibus aliorsum projectum. Nihilominus Magdalenam sepulchrum inspexisse, quid vetat? certe non sequitur, quod Angelos simul debuerit videre, qui pro libitu suo se praebuere spectandos v. 5. 6. 7. etiam sepulchrum Petrus & Joannes considerarunt vacuum, neque tamen genios coelestes viderunt, quos statim postea v. 12. Magdalena aspexit. Hac interim urbem repetente, mulieres sepulchrum intuentur, ubi Angelus mulieribus loquitur, quod Matthaeus, Marcus & Lucas memorant, cui colloquio Magdalena non potuit interesse.

§ VIII.

Harmonia adparitionis Angelicae.

Matthaeus uti & Marcus unum tantum Angelum describunt, quia unus tantum sermonem contulit; nam duo Angeli, de quibus Lucas, simul & semel haud sunt locuti.... Siquis in corona multorum summi momenti nova narraret advenae

nae alicui, & is postea relata sibi recensens alteri diceret, in hoc illove loco ab uno haec nova sibi innotuisse; numquid hic vera loqueretur, licet aliorum praesentiam aut societatem reticeret? an propter circumstantiam omissam mendax habendus? & si in profanis haec interpretatio spernenda haud sit, quare apud sacros Historicos, apud Evangelistas loco excidat? si inter hos unus unicum tantum Angelum adsereret, tum tandem haberetur contradictio.... Juxta Matthaeum super saxum extra sepulchrum, & juxta Marcum ad dexteram sedit, sed non in ipso sepulchro, ut erronea fert opinio. Marc. 16, 5. utrumque Evangelicum testimonium inter se consonat. Lucas non Angelorum locum constituit, solum dicens: Adstiterunt illis: duo Evangelistae reliqui scribunt: Sedebant. Forsan sederunt initio, & locuturi surrexerunt: nihil profecto hic inconcinnum, inconveniens nihil: Etiam apud Lucam graecum: και c. 24, 4. ιδου δυο ανδρες επεστησαν αυταις significare potest: praeter exspectationem erant praesentes; subito adparuerunt vel supervenerunt: confirmat hoc Grotius in Matth. 28, 2. ex graecis profanis scriptoribus. Cfr. Luc. 23, 11. Juxta Matthaeum Angelus interea loquitur, cum mulieres essent in sepulchro: non quidem intrasse illas scribit, cum vero egressas Matth. 28, 8. narret, res habetur perspicua. Idem tenendum est de Marco dicente: Mulieres introiverunt & viderunt Angelum. Juxta S. Lucam serie eadem contexitur historia; sed opinio minime fundata est, ex verbis: Nolite timere, deducere, quod Angelus ita mulieribus animum voluerit addere, quo intrarent, & sic prius jam Angelum esse visum; nam Marcus, qui diserte adseverat, quod post ingressum in sepulchrum modo

viderint Angelum, ſimili dicendi genere utitur: Nolite timere. Si Matthaeus dicit: Venite & videte, tunc graecum Δεῦτε nonniſi forma adhortantis eſt ad videndum, ut liquet ex locis, ubi neque de acceſſu, neque adventu mentio occurrit.

Milites cuſtodes ante mulierum adventum Angelum conſpexere, qui poſtea brevi tempore diſparuit, ne forſan iſtae a petendo ſepulchro abſterrerentur, unde fluit, cur initio illum non viderint. In angelico autem colloquio diverſitas quidem aliqua eſt, cum Evangeliſta unus prae alio recenſeat plura, ſed nullus alteri repugnat.

§ IX.

De Petro, Joanne & Magdalena ad Jeſu ſepulchrum.

Petrus & Joannes interea a M. Magdalena certiores facti etiam ad ſepulchrum properant, & alia quidem via iter cepere. Et ſi circumſtantiae hujus Evangeliſtae non meminerint, num eapropter incredibilis habenda eſt? Sat ex eo colligitur, quod iis & Magdalenae, quae illos ſubſecuta eſt, reverſae mulieres non fuerint obviae. Poſtquam Petrus & Joannes vacuum perluſtrarant ſepulchrum, ubi nullus porro Angelus videbatur Joan. 20, 10. ceteros ad diſcipulos remeabant. Maria Magdalena inter lacrymas ad monumentum ſubſiſtit, illudque inſpiciens duos Angelos cernit loquentes v. 11 -- 13 quae quidem adparitio non eadem eſt, quae paulo ante mulieribus aliis obtigit. Et ſtatim Jeſus illi adparet, praecipitque, ut diſcipulis laetum hoc adferret nuncium. v. 14 -- 17. Vetat Magdalenae corporis ſui attactum, forte ne iter tardaret, ut ex allegata Jeſu ratione videtur elu-

elucere; sat nimirum temporis sanctissimi corporis contrectandi supeferat, cum necdum ad coelos esset ascensurus.... Ad Orientalium hic morem respicitur, quo viros inclytos adveneraturi, in terram prostrati pedes manibus constringere soliti sunt: nec desunt aliae interpretationes SS. PP. & Recentiorum. Hos inter D. Pfaffius, in differt. de verbis Christi Magdalenae dictis, putat, quod Maria Salvatorem voluerit tangere; exploratura, an verum ex carne & ossibus compactum haberet corpus, an vero, ut tum communi Judaeorum ferebatur sententia, tantum adparitio spectri aut coelestis cujuspiam corporis oculos suos percelleret. Postea Christi responsum etiam huc adcommodat. Quidquid sit, quam hic fragmenti auctor Evangelistis impingit, antilogia ementita iterum est & nulla.

Festinat illa, haec cuncta discipulos edoctura. Festinat, & in itinere mulieres adsequitur; ubi vero locorum, tacente Evangelista, quis divinabit? forsan adhuc ante adparitionem Jesu, de qua Matthaeus c. 28, 9. 10. scribit, forsan postea, prope urbem, vel aedes. Adventat illa cum ceteris simul eodem fere tempore, vel brevi postea ad Apostolos; nam Lucas praeterea nihil meminit, nisi mulieres rediisse a sepulchro, & rem narrasse Apostolis, & hae fuere Magdalena & ceterae. Neque ad id necesse est, ut simul omnes eodem adessent momento, sufficiet, Mariam Magdalenam supervenisse, dum sermones jam fiebant, quos testimonio suo confirmavit.

Haec omnia esse verisimilia, licet Evangelistae unum alterumve haud expressis perhibeant verbis, ecquis addubitet? Num fidem excedit, Magdalenam praecucurrisse?... viis binis, unaque

breviore ad hortum perveniri potuiſſe? . . . Petrum & Joannem in diverſa urbis parte commoratos eſſe, haud adeo remota a mulierum domiciliis, ubi erant congregatae & egreſſae? & inde Magdalenae iter haud ita fuit diſſitum & remotum, ut cum Petro & Joanne interea nequiret ſepulchrum inviſere.

Forte mulieres revertentes, tametſi initio a ſepulchro celeri pede aufugerint, Matth. 28, 8. prae timore, ne obvios quosdam commoverent, paulatim lente inceſſerunt, aut Magdalenam abſentem amicam ſuam exſpectarunt, & ſic eas Magdalena hoc citius propiusque adſequi valuit ante civitatem, vel domum, vel cum mulieres jam re-ipſa adventarent, ad coetum pervenit. Haec omnia veriſimilia eſſe, nemo negarit.

SS. Matthaeus, Marcus & Lucas hic de Magdalena breviore linea tractant, uberiora vero de ea S. Joannes ſcribit; ergo ex hoc totius evangelicae hiſtoriae ſummam reficere oportet: iſta aequitate erga profanos codices utimur; & quis tam intemperans & iniquus rerum erit arbiter, qui de evangelica Jeſu hiſtoria contrarium decernat?

§ X.

Nunciant mulieres diſcipulis, Jeſum ſurrexiſſe.

Poſtea pervenere ad diſcipulos congregatos, Luc. 24, 10. quibus hunc eventum ſignificarunt. Si Marcus adſerit, quod nemini aliquid dixerint Marc. 16, 8. intelligi debet, in via; nam idem Apoſtolus inquit v. 10. quod Magdalena adnunciarit. Lucas manifeſte adſeverat, Luc. 24, 9. 10. quod mulieres reduces omnia enarrarint, & inter illas accenſet diſerte Magdalenam. Itaque mulieres ſeorſim

sim a Magdalena primum sepulchro praesentes rem incepere narrare, & illa sermones prosequebatur, quidque ipsi singulari quadam visione evenerit, enarrabat. Inter Evangelistas quidem nullus talia memorat, at verisimile profecto habendum est, quia non Joannes solum c. 20, 18. adserit, quod Magdalena exhibitam sibi visionem discipulis narraverit; sed etiam Marcus, dum sepulchri visitationem descripserat, addit visum esse a Magdalena Jesum, idque ab hac esse narratum.... Forsan causa, cur eam non prius memorarit, cum tamen dicat, quod prima Jesu adparitio fuerit Marc. 16, 9. quae itaque debuerat praecessisse adparitionem mulieribus ceteris regressis factam Matth. 28, 9. & Marco, qui ante oculos positum habuit Matthaeum, nequiit esse incognita, in eo sita est, quod per Magdalenae narrationem ansam tum sumserit, gesta illa adlegandi & repetendi. Hoc certe Historicis non insolitum est. Marcus statum & tempus adparitionis hujus probe edoctus erat, quam merito & vere primam nuncupat. Si igitur ponatur, Magdalenam in reditu suo adhuc mulieres esse adsecutam, aut statim supervenisse ad illas, omnia non turbato sequuntur ordine, & Evangelistae omnes vera scripserunt: esto unus quidquam enarret, quod alter omittit, vel non tam minutatim percenseat. Ex eo profecto, quod tres Historici rem aliquam praetergrediantur, quam postea quartus secundum circumstantias alias exprimit, male de unius alteriusque fide conclamatur, satis erit, unum non dissentire ab alio. Summa rei, quam mulieres ceterae viderunt, sicut & M. Magdalena, in eo constitit, juxta testimonium discipulorum Emauntinorum, qui etiam narrationi interfuere, Luc. 24, 13. quod corpus Jesu non invenerint, &

 Ange-

Angelorum visionem habuerint v. 22, 23. Magdalena igitur redux idem, quod mulieres aliae, poterat testatum facere. Matthaeus rem breviter expedit, dicens, quod mulieres abierint, ut adnunciarent. Lucas quidem adserit, quod mulieres, quas inter etiam Magdalenam nominat, enarrarint omnia; sed ex eo non sequitur, quod illarum unaquaevis idem fuerit elocuta: una potius narrabat, aliae nonnunquam interrumpebant, & dicta corroborabant, & sic omnes omnia narrabant. Mulieres visa a se recensuere: Magdalena ab itinere festino forsan lassata, paulisper siluit, sermonibus postea robur addidit singulari rei secum gestae narratione. Marcus aperte significat, non, quod Magdalena ceteris cum mulieribus una simul sit locuta & testata, sed quod peculiare dederit testimonium. Marc. 16, 9. 11. Marcus mulierum testimonia haud diserte adlegat, forsan quia Matthaeus ea jam sat declaravit Matth. 28, 8. eadem de causa videtur praeterire adparitionem Jesu, quae mulieribus obtigit, quam Matthaeus jam adnotat, de qua incertum, an illi Magdalena interfuerit; verumtamen visionem Magdalenae specialem, quam Matthaeus reticuit, commemorat. Quo tempore scripsit S. Joannes, peculiaris Magdalenae visio & historia potuit notior, & quoad hasce circumstantias liquidior facta esse, unde anam sumserit totam illam describendi, cum alii Evangelistae tacuerint.

§ XI.

Animadversio in adparentes has antilogias.

O quam facile fuisset Evangelistis, praecipue Marco ex Matthaeo, & S. Joanni ex tribus aliis omnem

omnem vitare antilogiam per paucas adpositiones, intercalationem &c., sed facere id noluere, lectorum scrutationi ea committentes, ut sic omnem collusionis & astus notam subterfugerent, quod non satis evitassent, si unus nec plus nec minus, quam alter iisdem verbis, circumstantiisque iisdem transcripsisset. Etiam in legendis comparandisque profanis non semper adsignari potest ratio, cur Auctor unus rem aliquam transcripserit, alius vero omiserit, aut alius singularem adhuc adjiciat circumstantiam. Sique ullum adhuc restet medium, sine ulla detorsione verba illa conciliandi, rectius hoc usurpatur medium, quam ut unus aut omnes insimulentur falsitatis: si itaque sola alias hypothesis ad faciendam harmoniam adhibita non carpenda sit, cur in sacris Scriptoribus haec regula displiceat?

§ XII.

S. Petrus sepulchrum repetit, eique Jesus adparet.

Discipuli mulierum dictis fidem renuebant Marc. 16, 11. Luc. 24, 11. Petrus altius rem rimatus juxta Lucam iterato ad sepulchrum vadit, fortasse visurus, annon prima vice errarit, aut quod fidei accedit propius, annon prope sepulchrum commoraretur Jesus. Luc. 24, 11. Hic secundus Petri accessus ab illo Joan. 20, 6. 7. omnino diversus, etsi Evangelista uterque pene iisdem utatur verbis. Hoc temporis sequela docet apud Lucam: apud illum Petrus sepulchrum inspicit, apud Joannem intrat. Apud Lucam solus illuc, juxta Joannem comite S. Joanne proficiscitur: quidquid contra iteratum Petri accessum obmovent increduli,

ex mero arbitratu proferunt absque ullo fundamento.

Eodem die Jesus Petro adparet, sed & tempus ignoratur & circumstantia. Id quidem facile perspicitur accidisse, priusquam discipuli Emauntini rediere Jerusalem; nam ut primum ad Apostolos pervenere, hi narrabant, Jesum adparuisse Simoni Luc. 24, 34. Paulus etiam 1. Cor. 15, 4. de ea loquitur.

§ XIII.

Jesus discipulis adparet.

Adparet Jesus, dum adhuc discipuli loquuntur Luc. 24, 36. Joan. 20, 19. prima haec solennis adparitio coram Apostolorum senatu. Secunda post dies octo accidit, ubi etiam Thomas adest. Joan. 19, 26. Tertia ad lacum Tiberiadis, tempore haud definito, quam Joannes tertiam vocat Joan. 21, 14. loquitur autem de solenni adparitione, alias tertia non fuit: certe potuisset Joannes illam, cum Magdalenae etiam adparitionem commemoret, saltem quartam insignire, totque jam adparitiones descripserat. Juxta Paulum 1 Cor 15, 6. plus quam quingentis fratribus simul & speciali visione Jacobo adparuit, sed tempus latet.... Adparitio in Galilaea ad montem juxta Matth. 28, 16. quarta solennis est, cum Joannes illam ad lacum Tiberiadis expressis verbis tertiam vocet Joan 21, 14. Haec igitur postponenda, & hic difficultas nulla subest, siquidem Matthaeus tempus non connotet. Quod autem illos ad montem constituerit, causam, roburque non praebet, existimandi, quod haec ipsa prima fuerit solennis adparitio in Galilaea, quia indicta prius fuit. Matthaeus non dicit,

quo

quo eos tempore ad montem acciverit; quid ergo obstat, quo minus facta dicatur post illam ad lacum Tiberiadis, quae prima in Galilaea fuit. Neque Jesus adfirmat, quod adparitio in monte omnium prima foret. Salvator per se, mulieres & Angelos, discipulos in Galilaeam invitat, & nihilominus eodem die Jerosolymis adparet. Ad veritatem sufficit, quod postea in Galilaea dicto modo revera se videndum praebuerit, neque iter statim erat faciendum: liberum interea habuit, etiam antea se revelare. Cur vero in Galilaea se voluerit ostendere, praeter alia ratio videtur, ut etiam multi regionis illius discipuli, cfr. Matth. 27, 55. Luc. 23, 55., resurrectionem edocerentur, qui finito jamjam paschate ad consueta negotia in patriam avocabantur. Et si omnes, quibus adparere dignatus est Jesus, discipulos & fratres, etiam quingentos, de quibus 1. Cor. 15, 6. Paulus loquitur, Jerosolymam advocasset, quam cito dira in illos saeviisset persecutio! quam ferre tamen nequibant, quoadusque induerentur virtute ex alto: tum vero gavisi sunt, quia digni habiti sunt, pro nomine Jesu contumeliam pati. Sique itineris Galilaei ratio plane nulla hodie a nobis posset dari, an pariter illa defuit Jesu atque discipulis, & ea propter iter confictum est? In quam breve compendium omnes sacrae & profanae historiae omnes non abirent, si ea rejicere cuncta liceret, quorum sufficientem conjicere causam ignoramus? Forsan ibidem solum se manifestasset, si Apostoli ac discipuli non illuc ire tardassent: condescendit igitur, & repente praeter opinionem adest, ut fieri amantissimos inter amicos solet. Cum mulier primo delicto suo mortis nostrae causam praebuerit, existimat Gill, etiam hunc sexum Christi resurrectio-

nis, & ex hac beatae immortalitatis consecutae primum ad discipulos & fideles fuisse nuncium. Ceterum supra cit. S. Joannis Caput 21. vere S. hujus Evangelistae scripturam esse, non vero Episcopis Ephesinis tribuendam esse, ut H Grotius & Clericus contendunt, manifeste D. Michaelis evincit in opusc. mox citando.

§ XIV.

Sermones Jesu.

Quod Marcus narrat c. 16, 14-18. non in ascensione, sed prima resurrectionis die esse dictum multis verisimile est, & quidem in ea congregatione, quam Lucas c. 24, 36. & Joannes c. 20, 19. descripsere. Plures Jesu C. sermones sunt, quam quos unicus Evangelista recenseat. Lucas & Joannes de una loquuntur adparitione, & uterque diversa memorant dicta, quibus scil. per quadraginta dies Jesus Apostolos erudiit, quae quia ejusdem erant argumenti, tum Marcus tum Lucas hic & Act. 1, 5. recitat. Solere hoc modo Evangelistas continuare interdum res, quae diversis temporibus acciderunt, notius est, quam ut exemplis sit probandum, ita Grotius & Casaubonus. Quod Matthaeus de Jesu sermonibus in monte Matth. 28, 16-20. exarat, aliquam quidem habet similitudinem cum iis, de quibus Marcus; sed cur eadem, & quidem tanti momenti verba a Jesu prolata non iterato, ut alias, potuisset referre? Utrumque tamen colloquium non prorsus idem esse liquet. Tandem habita in Galilaea visione Jesu Jerosolymam repetere, ibique manere jussi sunt, ut miraculosa divini Spiritus effusio in urbe principe coram referta hominum multitudine fieret.

ret. Ergo etiam Marc. c. 16, 7. & Luc. 24, 49. Act. 1, 4. inter se non pugnant.

Sunt, qui difficiles hosce nodos expedituri ex Marc. c. 16. duodecim versus postremos mallent resecare, illosque ceu posterioris aevi additamenta pensitare: nituntur auctoritate S. Hier. in Epist. ad Hedibiam quaest. 3., ubi S. D. ait: "Aut enim non recipimus Marci testimonium, quod in raris fertur Evangeliis, omnibus graecis libris pene hoc capitulum in fine non habentibus, praesertim cum diversa & contraria Evangelistis ceteris narrare videatur." Adducunt etiam pro re sua Hesychii Jerosol. Orat. 2. de Resurr. Christi, varia MS. & Codices, ubi adnotetur, hos versus in multis praecipue graecis libris deesse, at vero in aliis legi.

Verum haec plane non sunt, quae dictos versus ex Evangelio S. Marci disturbent, siquidem in optimis codicibus, qui ad nos pervenere, & in translationibus cunctis adscripti habeantur. Variis autem de causis potuerunt in nonnullis deficere aut omitti. Haud dubie, velut S. Hieron. videtur innuere, ob adparentem cum ceteris Evangelistis antilogiam; ast S. Doctor cit. versus exponit, sicut etiam Euthymius, aliique eos restituerunt, ut patet in versione syriaca & armena. Certe S. Marcus verbis ἐφοβοῦντο γὰρ haud adposite Evangelium suum finiisset, imo Jesu adparitiones praetermisisset. Ipsum Hedibiae, quae S. Hieronymum de difficultatibus his consultum ivit, exemplar argumento horum versuum authentiam confirmat. Et qua ratione Julianus Marcum a ceteris discrepare Evangelistis, Christianis exprobrasset, nisi hos versus genuinos reputassent? Eosdem Tatianus & Ammonius in harmonia sua habent. Irenaeus,

naeus, Tertull., Constitutiones apostolicae, Synopsis S. Athanasio tribui solita, aliique Ecclesiae Patres eosdem memorant. Alias vero a consueto S. Marci stylo non abludunt. Silemus hic decretoriam Conc. Tridentini sententiam.... Quaecunque etiam D. Michaelis in opusc.: *Erklärung der Begräbnis- und Auferstehungs-Geschichten Christi* contra hos versus machinatur, haud firmo nituntur fundamento.

§ XV.

Refelluntur increduli.

Dum Evangelii hostes objiciunt, ejus scriptores de summa tantum concinnanda ex condicto inter se tractasse, adsignandas vero circumstantias oblitos esse, ac has ex ingenio suo adfinxisse, & ideo tantopere sibi adversari, non advertunt, quantum sibi contradicant; siquidem Evangelistas ad classem talium impostorum redigunt, in quibus nulla prorsus mica salis, cum tamen infensissimi Evangelii hostes doctrinam moralem laude & admiratione prosecuti sint: fuissent ergo sapientes & nimis hebetes, simplices ac sinceri simul & impostores gravissimi, versipelles, sed ad res gerendas post homines natos ineptissimi: quis non videt, praetensa hostium Jesu, qua gloriantur, sapientia quanta sit stultitia? Si haec resurrectionis veritas millenis summi roboris testimoniis, & perennibus monumentis stabilita falsa aut dubia adhuc sit; nulla amplius historia subsistet, nihil, quod oculis & auribus non perceptum, aut tactu exploratum est, fide dignum erit: sequitur profecto, quod quidem dictu crudele & blasphemum, ab ipso Deo miseros homines esse deceptos.

Praeter-

Praeterea hostes Evangelii putant, adparitiones Jesu in locis tantum solitariis & quidem discipulis solis fuisse spectabiles ceu testibus praeordinatis Act. 10, 40. 41 ; ast quomodo id probabunt? Luc. 24, 13-15. cum Cleophas & alter discipulus Emauntem comitante Jesu abirent, an illa duarum horarum via a Judaeo plane nullo tunc trita fuit, aut domus, quam hi petierunt discipuli, aliis inquilinis prorsus vacua fuit? Verisimile profecto est, a pluribus personam Christi tunc visam esse; nam alias, ut primum Judaeus erat obvius, debuisset oculis illorum se statim surripere. Idem censendum Luc. 24, 50. cum Jesus discipulos suos Bethaniam versus in coelos ascensurus perduceret, ubi certo in regione illa populi feracissima plures occurrerunt, qui albo discipulorum non erant inserti: cum vero Jesu personam tales non agnoscerent, etiam ad horum testimonia discipuli noluerunt adpellare.

§ XVI.

An hostes Evangelii merito postulent, Jesum oportuisse omnibus adparere.

Jesus non una vice adseveravit Joan. 14, 19.: Adhuc modicum, & mundus me jam non videt, scil. promiscua incredulorum Judaeorum turba; bene vero v. 18. discipulis suis, qui ipsum diligunt, hanc manifestationis gratiam pollicitus est, quare Jesu veracitas exegit, ut redux a mortuis non passim omnibus, sed discipulis adpareret.

Si etiam videndum se cunctis praebuisset, an pariter credidissent omnes, Jesum pro salute humana necem subiisse? certe non Messiam redemtorem a morte, sed vindicem a Romanorum jugo desi-

desiderarunt. Et si populus Jesum ceu promissum Messiam recepisset, nonne pariter ingentes sub Messia revolutiones peravide fuisset praestolatus, quae tamen ex Jesu scopo nequierant accidere, & sic brevi iterum tota Judaeorum de Jesu aestimatio & fides in illum salutis humanae adsertorem effectu caruisset. An igitur resurrectionis mysterium non sat evictum erat toties centenorum hominum praecipue Apostolorum testimonio, tot signis in Jesu nomine palam peractis. cfr. Act. 4, 4 -- 14. ita ut obloqui nihil possent? An sola adparitione coram Synedrio & populo fides haec potuit ac debuit persuaderi? O quam vereor, ut, cum tot evidentia resurrectionis argumenta pertinaci nequitia rejecerint, in Jesum credidissent, si ipsemet etiam iis adparuisset. Si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. Luc. 16, 31....

Si quoque in Synedrio se videndum atque palpandum stitisset, velut omnino desiderant, an Principes Sacerdotum, Scribae & Seniores, in Christum Jesum credidissent? Omnes erant aut Sadducaei aut Pharisaei; illi resurrectionem reipsa impossibilem censebant; hi ipsi cavillis Jesum impetiissent, ceu personam fictam a discipulis advectam & substitutam, aliudve sensuum & phantasiae ludibrium! in his rerum adjunctis hominum professae malitiae non desunt momenta; quibus illud se videre inficietur, quod videre renuit. Parabolae Luc. 16. verba supra citare placuit, quia nonnulli eruditi exegetae Dominum ad familiam Annae, scil. ejus generum Caipham & quinque filios, cfr. Joseph. Antiqq. 20, 1. respexisse censent, qui omnes sacerdotii supremam dignitatem consecuti, verum ex Sadducaeorum secta mortuorum resur-

resurrectionem ad fabulas amandarunt.... Pharisaei autem pristinum, qui vix resedit, furorem, cfr. Matth. 27, 63., erga Jesum paucis abhinc diebus a Pilato toties insontem declaratum rursus concepissent: Pharisaei, inquam, hypocritae superbi & malitiosi diu ac saepe morti Jesum destinarunt, eoquod pietatis larvam non semel iisdem detractum iefat; quare etiam doctrinam ejus ac prodigia parvi ducebant, imo haec Satanae adnumerabant operibus Cfr. Matth. 9, 24. 12, 24. Jesum vero falsum Prophetam, blasphemum, voracem, potatorem, publicanorum & peccatorum amicum reputabant. Matth. 9, 3. 11, 19. Joan. 5, 18. 9, 16. Num id genus infensissimi Jesu hostes, qui brevi ante Pilatum mendaciis, calumniis & minis compulerunt, ut Jesum (non obstante declarata ejus innocentia) interimeret, quem Matth. 27, 41 - 43. simul inter peracerba tormenta sannis adhuc & sibilis adorti sunt, an, inquam, tales hostes subito a se alieni Jesum ceu promissum Messiam agnovissent, si ipsis palam adparuisset? quis hanc Judaeorum resipiscentiam credat? haud dubie illum in vincula denuo conjicere, & trucidare decrevissent, velut impii mortem redivivo Lazaro machinati sunt, qui tamen illos ne levissima quidem offenderat injuria; sed quia turba multa ex Judaeis venit Bethaniam, non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis. Joan. 2, 9 - 11. longe minus Jesu parcendum putassent, si redux a mortuis iterum adparuisset, ne, sicut paulo ante dicebant Matth. 27, 64. novissimus error pejor priore esset. Hoc vero modo pati iterum Jesus debuisset; sed quem in finem? nonne Heb. 10, 14. una oblatione consummavit in aeternum sanctificatos? si autem ex

hac

hac capitalium hostium violentia se ereptum ivisset, nonne ad consuetas delapsi blasphemias ope Beelzebub hanc umbram inductam fuisse dixissent, ut seductio per Jesum in vivis incepta porro fieret, Cur igitur Theistae resurrectionis certitudinem dubiam perhibetis? numquid quia Jesus nihil frustra voluit peragere?

§ XVII.

Unica adparitione publica fidem Jesu Messiae impetrari potuisse, increduli censent.

Qua ratione adfirmari potest, adparitione unica, quam tam importune exigunt, fidem in Jesum penes judaicam nationem tam populosam & ubique diffusam, nunquam totam aut in templo aut Jerosolymis praesentem fuisse evictam? An fides ista in eo solum sita est, ut quis iis, qui ipsum a morte ad vitam reversum viderant, assentiret? longe secus de hac fide arbitrantur Petrus 2. Pet. 1, 5--7. & Paulus Rom. 4, 25. 8, 1--10. 2. Cor. 5, 17. Gal. 6, 15. nonne desipiunt, dum temere effutiunt, unica solum adparitione infinitas Judaeorum myriades ex pernicie fuisse salvatas?

Si natio universa etiam Jesum ceu Messiam acceptasset ob manifestam quandam adparitionem, haud dubie, ut antea Joan. 6, 15. Romanum excussuri jugum, regem ipsum elegissent; sed cum regnum ejus non esset de hoc mundo Joan. 18, 36. 37. neque ad restituendum regnum Israel advenerit, fidem hanc brevi iterum perfida natio abnegasset. Sique etiam ex publica adparitione Judaei in Jesum ceu Salvatorem animarum credidissent, an similem propterea fidem etiam gentiles fuissent persuasi? an hoc modo firma & inconcussa christia-

ſtianae religionis jacta fuiſſent fundamenta? Moſes ſigna & prodigia coram populo, qui cum illo de Aegypto exiit, patravit: ceu divinus doctor & legatus a Judaeis habebatur; verum an ſimul Moſi obedientes & dociles ſeſe dedere? an mores ſuos emendarunt? Judaei ad hunc uſque diem Moſen Prophetam & thavmaturgum venerantur, ejusque legem profitentur; verum olim & hodie quam frequentes ſunt, qui Moſen impoſtoribus accenſeant, & ſtupenda ejus opera riſu explodant? par etiam Jeſu fatum fuiſſet, ſi ex ſingulari adparitione fidem Judaeorum ſibi quidem conciliaſſet; factum nihilominus fuiſſet, ut homines ſuperbi & carnales, quibus ob corruptos mores doctrina Jeſu & Apoſtolorum ſcandalum eſt, & ſtultitia, Jeſum repudiarent, & more Bibliomachorum blaſphemarent.

Cum vero Jeſus non ſolum gloria plebis Iſrael, ſed etiam lumen ſit ad revelationem gentium, cfr. Iſa. 42, 6, 49. 6. Luc. 2, 32. ſi peculiaris adparitio unice fuerit neceſſaria, gentibus quoque omnibus ſe videndum & palpandum offerre debuiſſet, quin imo aliam ex alia provinciam & civitatem peragrare Jeſum oportuiſſet, & ſi tandem fides haec hominibus ſynchronis ubique pervulgata fuerat, quovis iterum ſeculo in toto terrarum orbe omnibus & praecipue ſingulis Antichriſti praecurſoribus deberet oſtendere fixuram clavorum & latus, ut mitterent digitos ſuos in locum clavorum; verum an ita fides in Jeſum fides vocari, & ampliſſimo credentibus deſtinato praemio digna cenſeri poteſt? nunquid ſapientiſſimus remunerator aeterna coronabit mercede eos, qui crediderunt, quia viderunt? Cfr. Joan. 20, 29. 1. Cor. 13, 12. 2. Cor. 5, 7.

Ex dictis hucuſque ſimul elucet, nequaquam Jeſum oportuiſſe, reſignando ſub diem tertium

monumento, ſolemni viſione adparere. Potuiſſent quidem Scribae & Phariſaei dicto tempore ſepulchro adſiſtere, ſed qua ratione evincent, Servatorem hanc exſpectare praeſentiam debuiſſe, ſeque palam cunctis videndum offerre? Potuit Jeſus ita reſurgere, aſt noluit, tum quia requiſitum haud erat medium ad probandam reſurrectionis certitudinem, neque alium in finem erat neceſſe, neque hoſtes Jeſu, qui tot evidentia divinae miſſionis ſigna reſpuerunt, Scribae, Phariſaei, Sadducaei hoc ſingulari beneficio erant digni. Certe obcoecati Judaei, multique tum & in poſterum per ſeculorum curſum viventes homines, praeſertim aetatis noſtrae increduli ex peculiari iſta viſione fidem in Jeſum non fuiſſent perſuaſi. Priſca haec ſunt Celſi contra chriſtianam religionem arma. Cfr. Orig. Lib. 2. c. Celſum, quae iterum Ben. Spinoſa, Olybrius apud Limborch, Woolſton, Edelmann, ac inter omnes pejus & operoſius Auctor Fragmenti opponere non erubeſcunt.

§ XVIII.

Sanctorum reſurrectio.

Iſtam Jeſu C. (qui primitiae dormientium 1. Cor. 15, 20. & primogenitus mortuorum Coloſſ. 1, 18. Apoc. 1, 5.) reſurgentis gloriam, Sanctorum ad beatam immortalitatem ſimul reſuſcitatorum multitudo inſigniter confirmat. Hi Jeruſalem ingreſſi invicte de Jeſu redivivo (quis enim horum etiam oculos faſcino quodam deluſos ſuſpicetur) conteſtati ſunt, tum piorum fidem corroborarunt, tum incredulorum refellerunt pervicaciam. Ex quo ſtupendo prodigio ſumma Jeſu C. mortis & inferni claves habentis Apoc. 1, 18. elucet praerogativa;

ſi

si enim Elisaei memoria 4. Reg. 13, 21. a Deo non parum honorata sit, quam modis infinitis ille Jesus non excellet, qui sicut in vita, ita etiam a mortuis propria virtute redux tot simul homines vita secunda impertiit. Quam consolationis plena hic emicat veritas, & in Jesu C. praestabilita fiducia de novissima omnium aliquando mortalium resurrectione? Hic iterum putida Judaeorum mendacia, Jesu C. corpus furto esse ablatum invicte confutantur; quis enim tot alia simul corpora ex monumentis nunc vacuis clepsit? at vero hi Sancti cum iisdem corporibus bene multis adparuerunt, haud dubie adhuc incredulis, etsi redivivus Jesus haud omnes indiscriminatim hac visione bearet sapientissimis de causis, quas si exponere nesciamus nos humi repentes, infirmi & vix ullius momenti, S. Aug. Tract 36. in Joan. sacrae tamen historiae & prodigii veritas perstabit immota.

§ XIX.

Crisis in Sanctorum resurrectionem.

Etsi hanc sacram historiam S. Matthaeus solus referat, verissima tamen est, quin ad fabulosum, quod Nicodemo suppositum est, Evangelium hic etiam recurrere sit necesse. Quo tempore S. Matthaeus Palaestinorum Judaeorum usui ac eruditioni scripsit, recens gestae rei hujus vigebat memoria; non duntaxat sanctos multos resurrexisse, sed sepulchra etiam eorum esse reserata, illosque adparuisse multis adserit. Ecquis tot mirabiles circumstantias post homines natos inauditas non exploratum ierit? annon ii (numero non exigui) qui redivivos viderunt sanctos, ipsi stupendum hoc prodigium ubivis divulgarunt, sic ut ceteri etiam aperta monu-

menta corporibusque vacua perlustrarent. Primitiva Ecclesia nunquam de hac S. historia dubitavit, imo apud LXX adpendicem Jobi (quidquid de hac sit) cum Domino resurrecturi permagni fecit, & juxta Sixtum Senensem Biblioth. sanctae fol. 35. omnes Patres graeci summa veneratione recipiunt. Etiam prisca Judaeorum traditio tulit, Messiae adparitionem cum mortuorum resurrectione conjunctam fore. Apostoli quidem ingens hoc prodigium in Act. Apostolorum, quae satis brevia & succincta, aliisque epistolis canonicis, plerumque didascalicis non memorarunt; ast ex eo minime sequitur, quod non in orali praedicatione subin de Jesu anastasi loquentes, etiam grande miraculum hoc celebrarint.

Mirum non habeatur, S. Matthaeum hic plura rerum adjuncta, quae curiosius increduli Ardeliones nosse avent, praeteriisse; quae si etiam singula S. Evangelista enarrasset, nihilominus ea impiis cavillis suis impetere auderent. Cur autem Hagiographi fides labefactetur ex eo, quod tamen scriptoribus aliis fide dignis solenne est?... Juxta S. Ign. ep. ad Magnes. & Tertull. de Anima c. 55. veteres Patriarchae & Prophetae vita donati resurrexere; sed cum David Act. 2, 29. &c. non surrexerit, cur aliis tanta praerogativa obtigerit? Huic quoque opinioni non favet S. Paulus Heb. 11, 13. 39. 40. ubi patet, SS. Patres & Prophetas multa patrasse & passos esse per fidem, nec tamen plenam adhuc accepisse retributionem. Opinantur alii, sanctos hos non ita pridem fuisse defunctos, & viventibus adhuc quoad personam probe notos; si enim prisci ignotique fuissent, haud dubium omne absuisse, videri posset. Cumque de corporibus mentionem faciat, verisimile censent, illa necdum

fuisse

ſuiſſe corrupta. Ejusmodi autem ſancti fuerunt, qui regnum Dei exſpectarunt, & fidei in Jeſum ceu Meſſiam ſunt immortui, quorum tunc non pauci exſtitere, licet ex morte Jeſu ſcandalum perpeſſi ſint. Cfr. S. Joan. 12. 42. collatum cum 19, 38 Marc. 14, 43. Luc. 23, 50. 51. Forſan tales fuere, quorum nomina in ſacris Scripturis non occurrunt, quae proinde hoc facilius potuere omitti. Exiſtimant nonnulli ex teſtimonio S. Quadrati in Apol. ad Hadrianum, hos ſanctos aliquamdiu vixiſſe, iterumque obiiſſe; verum ſi S. Apologetae dicta apud Euſeb. lib. 4. Hiſt. Eccleſ. c. 3. penitius ſpectentur, ſicut & S. Hieron. in Catal. Script. Eccleſ. c. 19. liquet, quod verba non fecerit de Sanctis cum Chriſto reſuſcitatis, ſed de iis, quos Jeſus hac in vita degens thavmaturga virtute variis calamitatibus oppreſſos ſanavit, quosque mortuos excitavit; nam quis ambigat, praeter tres in Evangelio deſcriptos, plures adhuc ad vitam eſſe revocatos? ex quibus aevo S. Quadrati facile potuere adhuc eſſe ſuperſtites: adhaec corpus glorioſum ut ad conſuetas hujus ſeculi functiones non adcommodatum, ita etiam morti obnoxium non eſt. Sique neci denuo occubuiſſent, etiam de immortali vita Jeſu dubium potuiſſet oboriri penes incredulos. Et ſi interea verſati in terris porro fuiſſent, an vitam Jeroſolymis tranquillam vivere potuiſſent? Siquidem Lazarum Judaei perimere decreverint, quid non atrocitatis contra tot invictos Chriſti reſurrectionis teſtes moliti fuiſſent? Eccur de his omnibus, illorumque fatis, quae tamen reſcire haud parum intereſt, nihil Apoſtoli ſcripſerunt? Itaque ſancti iſti, qui modo poſt reſurrectionem Jeſu vita ſunt donati, ut colligere licet 1. Cor. 15, 23. cum Chriſto in coelum aſcenderunt: non diſſentiunt quidam SS.

PP Justinus, Hilar., Epiphanius.... Id quidem Evangelistae silent, sed pariter de secundo illorum exitu, imo gloriosi Jesu ascensus circumstantiis tacent. Forsan ad electam illam pertinuere societatem duo viri vestibus albis amicti Act. 1, 10. 11. Saltem genii coelestes non adpellantur, & reliqui interea a Jesu ultimum vale suis precante aliquantisper remoti stetere, & tandem simul rapti sunt cum illis in nubibus obviam Christo in aera.

§ XX.

Jesus 40 dies adparet, & de regno Dei loquitur.

Sacra 40 dierum intervalla, quibus Jesus C. a morte reversus discipulis suis conspicuum se in terris praebuit, nonnullae Ecclesiae singulari disciplina ac devotione olim recoluere. Servator his diebus de regno Dei discipulos erudiit, quomodo homines sibi per evangelicam doctrinam, & Spiritus S. effusionem subjicerent, & ipse hoc modo in fidelium cordibus regnaret, Luc. 17, 21. illosque aeterni regni possessione praemiaretur, contumaces vero hostes Evangelii regendos in virga ferrea, aeternumque puniendos denunciarent. De regno Dei, de statu & Ecclesiae militantis gubernatione, aliisque multis loquebatur. Quid vero? Hoc Spiritus sanctus altissimis de consiliis voluit nos latere: videant procaces Ecclesiae hostes, qui in omnibus & singulis expressam Evangelii solius auctoritatem postulant, qui in cunctis ad hunc solum judicem & arbitrum recurrendum dicunt, annon aliud adhuc Ecclesiae depositum sit concreditum. Dicant sodes, quo textu evangelico permoti nascentis Ecclesiae Patres diem primum in septimi vicem substituerint & commutarint, qui divina tamen antiquitus praeceptione

tione ſacro otio & cultui divino erat dedicatus.... Nos interim Steph. Curcellaeo Arminiano in diatrib., qui non ſine protervae temeritatis nota, id ſine gravi ratione, & ex Judaeorum odio potius, quam ſano conſilio factum eſſe, audet dicere, reſpondemus: Merito diem primum ſive dominicum, cfr. Apoc. 1, 10. ſanctum & feſtum aeſtimatum eſſe, quo Chriſtus mortis & Satanae triumphator ad vitam rediit. Hoc ipſo a fidelibus Chriſti reſurrectio agnoſcitur, quo Salvator novae creationis & redemtionis opus complevit, & non Jacobi tantum, ſed omnes Adami filios a ſervitute plus quam Aegyptiaca adſeruit. Sabbatum creationis & poſtea redemtionis ab Aegypto typum tantum & umbram geſſerat ſub anguſto redemtoris temporalis titulo, nos die dominica Numen ſub generali patris & domini notione colimus; etenim Jehova, qui in vetere Teſtamento: Dominus exercituum, terribilis & magnus, creator coeli & terrae, Deus Iſrael, Deus, qui liberavit e domo ſervitutis, uſu frequente adpellatus eſt, ſub novo gratiae foedere: Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, Pater domini noſtri Jeſu Chriſti, mutatis pariter titulis dignatur a nobis nuncupari.

Caput VIII.

Tandem videntibus Apostolis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.

§ I.

Hermenia S. historiae de Jesu ascensione.

Luc. 24. Eduxit Jesus discipulos suos foras εως εις Βηθανιαν Bethaniam versus ad montem Oliveti, ubi saepe lacrymas & preces fudit ad coelestem Patrem. In eo pristinae submissionis loco, suprema gloriae etiam suae relicturus testimonia, elevatis manibus discipulis postremum bene precatus est, illosque omni benedictione spirituali adcumulavit & virtute propria divinitatis & animae beatae glorificatum corpus moventis ad paternae gloriae, majestatis imperiique consortium est elevatus. Cfr. Eph. 1. & 4. Sicut Salvator post resurrectionem ex summi momenti rationibus, sapientissimis noluit omnibus indiscriminatim videndum se praebere, ita etiam coram suis tantum discipulis voluit in coelum ascendere.

Mysterii hujus veritas si nec in ore trium testium Marci, Lucae & Pauli, nec undecim aliorum posita staret; nihilominus ex praedictione Jesu frequente invictum jam robur caperet, cum enim ad perennem immortalitatem glorioso corpore resurg ret, & ministros suos gentium omnium Doctores & Magistros sibi substitueret, promissa usque ad consummationem seculi adsistentia, & paraclyti alterius missione, sane consequitur, voluisse illum

corpo-

corporalem subtrahere praesentiam. Haec ascensio, sicut & resurrectio vera, non mystica fuit, contra ac Woolston, Edelmann &c. impie delirant & blasphemant. Illa prodigio Eliae igneo curru abrepti longe major, longeque dispar; nam sublato jam in aethera Jesu & a discipulis sejuncto, nubes tandem cepit adparere. Quae ad extenuandum hoc Jesu C. miraculum incredulorum impietas per inauditam impudentiam opponit de Apollonii Tyanaei, Zoroastris, Herculis & Romuli ad astra ascensu, putidae fabulae sunt, quibus veteres ethnici viros Jesu Christo pares adnisi sunt refragante tota antiquitate comminisci, utique ad succurrendum labascenti idolomaniae & ad invidiam christianae religioni conflandam.

§ II.

Respondetur Anonymo Auctori Fragmenti.

Nunc Auctor vehementer SS. Matthaeo & Joanni succenset, quod potissimam de Jesu ascendente siluerint historiam; quinimo, ait, ex obvio S. Matth. 28, 21. textu cogitatio non potest non animum subire, Jesum adhuc in terris praesentem suis adesse discipulis.

Ast enim ex silentio hoc quid evinci aliud poterit? certe nihil, nisi quod S. Evangelistae haud necesse existimarint, Jesu ascensionem literis his suis consignare, quam Apostoli & praedicatione & epistolis ubique adnunciabant? S. Joannes quidem etiam Christi nativitatem praetermisit, num etiam haec commentum, aut de illa dubitandum est? ubivis S. hic Evangelista more suo ita agit,ut, quae alii jam dilucide scripserunt, haud raro conticescat; verum nonne hoc mysterium Joan. 6, 63.

& 20, 17. etiam diserte describitur? Neque S. Matthaeus ascensionem Christi prorsus silentio premit, ut verba 26, 64 consideranti patet. Luculentum profecto argumentum, quod Auctor fragmenti nec vir doctus sit, nec sincerus, sed quaecunque sine judicio & crisi corradat adversus sancta Evangelia. Consultius egisset D. Lessing, & majorem apud posteros tulisset laudem, & ingens a Deo meritum, si ad perennem situm, ac squallorem, aut potius flammas impium hunc foetum condemnasset.

Caput IX.

Haec omnia facta sunt, ut sciamus, quoniam Filius Dei venit, & ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio ejus: hic est verus Deus & vita aeterna.

§ I.

Prolusio contra Socinianos.

Hominem gradatim & per incrementa divinarum rerum scientia imbutum & velut enutritum esse, ex vetere & novo lucet foedere; nam periculosa sunt, ait Cl. Joan. Bapt. Sandi lib. 2. de Deo Triuno Edit. Venetae pag. 49. quae magna sunt, si repentina sint. Prior intelligentiae lux suboritur illa, Deum esse unum, cum divinum aeternumque Numen nonnisi unum esse possit, quod luculenter Mosaica scriptura confirmat, dum singularem praecipue Divinitatem, subobscure vero alia celebrat mysteria: dignas divina oeconomia ratio-

nes adſignant Gregor. Naz. Orat. 38. Iſid. Peluſiota L. b. 2. Ep. 143. Theodoret. ſerm. 2. Prophetae poſtea perſonarum binarium numerum diligentius commendant; Evangeliſtae vero in Lege nova Trinitatem aperte & diſerte demonſtrant. Hanc ipſam ſemitam S. Hilarius initio Operis ſui refert ſe triviſſe, cum ex gentili paulatim ad doctrinae chriſtianae, maximeque ſanctiſſimae Triados profeſſionem adoleſceret.

Hoc Sacramentum magnum unigeniti filii Dei ſemper Judaei & Mahomedani, Sabelliani & Ariani inſano conſilio & vacuo labore impetere auſi ſunt. Luctuoſo ſcil. Eccleſiae Jeſu fato accidit, ut primitus a Judaeis, Gentilibus, Philoſophis & Tyrannis vexata, ſtatim atque pace nonnihil frui cepit, a fidelibus velut mater a filiis ſcinderetur, idque ſine termino; bello enim & igne ex una parte reſtincto, aliud ſtatim ſenſit luxitque incendium, imo videri poſſet, perſecutorum furias tantum triumphaſſe, ut a ſuis eo rapaciore & periculoſiore jactaretur procella. Et quis Arianorum crudeliſſimos furores ſedula Patrum ope & eruditione, tot Martyrum ſanguine, evidentibusque prodigiis extinctos putaſſet extremis his temporibus renaſci? Impii agminis ſignifer velut alter Arius & Ebion Fauſtus Socinus ſenenſis eſt, cujus impietatis multi patrocinia ſuſcepere Arianae impietatis reſtauratores, ac inſolentes contra Deum diſputatores, qui fallacibus rationum momentis, paralogiſmis, contradictionibus, & elevata ad impietatem ſuperbia accincti orthodoxam ſanctiſſimae Trinitatis doctrinam, qua Eccleſia Jeſu C. alitur & paſcitur, ſubvertere laborant. Cfr. cit. Diſſ. de Lege Nat. & Lege Moſ.

§ II.

§ II.

S. Literae blasphemos Socinianorum errores aperte confutant.

Intra SS. Literarum vallum consistere Socinianos nec velle, nec posse, nemo non cernit, qui sacram Scripturam legit. Passim illa Christum Dei filium praedicat, eumque unigenitum, imaginem Patris, Dei virtutem, Sapientiam, Verbum, ejusdem cum aeterno Patre potestatis, voluntatis, actionis, substantiae: desertis igitur sacris literis argumenta ex ratione (illudente potius phantasia) hauriunt: aciem instruunt armis arcessitis ex Arianorum, imo Mahomedanorum officinis, iisque laborant erroribus & nugis. Certe qui Crellium, Servetum, Blandratam, Alciatum &c. audit, illico Sabellios, Arios, Ebiones redivivos & Moslemos percipiet, & cum his miseri Sophistae Conditoris essentiam ex creatarum conditione rerum emetientes generationem filii Dei corporum more confingunt, nescii, nos voces solum ex creatis rebus commodare, & longe aliter profiteri, rem se habere, quae omnem sermonem captumque exsuperat. Cfr. Hil. L. 10.

§ III.

Divinitas Verbi demonstratur ex S. Joan. C. I.

Christum Jesum vere & natura Deum, Patri aeterno consubstantialem esse, miracula, quae eum in finem in corporibus animisque operatus est, confirmant, vox Patris in baptismo, confessio SS. Petri & Thomae a Salvatore adprobata, remissio peccatorum, cogitationum cordis intima perscrutatio & confessio Jesu coram Sanhedrim declarat.

Imma-

Immane igitur Crellius cum ſuis errat, qui hanc doctrinam poſt Apoſtolorum interitum Seculo II excogitatam, & poſtea ab aliis receptam non horret dicere; nam divinitas Jeſu manifeſte adſeritur a S. Joanne, fatente ipſo Juliano Apoſtata, cfr. Cyrill. lib. 6. c. Julian., ſiquidem interfecto Domitiano & actis ejus ob nimiam crudelitatem reſciſſis, ſub Nerva Imperatore juxta Tertull., Irenaeum, Hieron. Epheſi ex Pathmo redux rogatus ab Aſiae Epiſcopis & Eccleſiarum multarum legationibus, ac a Spiritu ſancto impulſus, cfr. Epiph. Haereſ. 51. & S. Hier. adverſus Cerinthum aliosque haereticos, & maxime tunc Ebionitarum dogma conſurgens, qui Chriſtum Jeſum ante Mariam non fuiſſe, impie adſerebant, divinam Verbi generationem expoſuit. Alogi ſoli haeretici hoc Evangelium rejiciunt, & abſurdo nimis errore Cerintho adſcripſere, quos etiam ſtrenue ſectantur Sociniani, qui initium S. Joannis aſſutum & irreptitium cupiunt; econtra hoc exordium Origenes praefat. in Joan. ait Evangeliorum eſſe primitias, cujus ſenſum percipere nemo poteſt, niſi qui ſupra pectus Jeſu recubuerit, vel acceperit a Jeſu Mariam, quae etiam ipſius mater fiat. Initium hoc Platonicus quidam aureis literis conſcribendum, & per omnes Eccleſias in locis eminentiſſimis proponendum eſſe dicebat, ut ex Simpliciano Mediolanenſi Epiſcopo refert S. Aug. lib. 10. de Civit. c. 29. Platonicus alter Amelius nomine, qui ſub finem Seculi III. floruit, pariter illud celebrat. Cfr. Euſeb. lib. XI. praep. Evang. c. 19.

Evangelici autem hujus oraculi vim ſiquis percipere cupiat, cogitandum eſt, antitheſes Cerintho &c. oppoſitas exordio S. Joannis Evangelii contineri, quas ex dictis factisque Jeſu ſtupendis

perſe-

persequitur probare, quare eodem sensu verba illa Ἐν ἀρχῇ In principio erat verbum, & mundus factus est, ac reliqua exponenda sunt, quo Cerinthus Judaeus Ephesi sec. I virulentis erroribus tum ex orientalis philosophiae placitis, tum Judaismo haustis abreptus easdem negarat sententias. Cfr. Iren. adversus haereses Lib. 3. c 11. Edit. le Preux pag. 184. Obmutescant hic Socinianorum ineptiae absurdae & impiae, qui effari S. Joannem volunt: Initio baptismatis Joannis Baptistae & Evangelii Verbum jam exstitisse: vah quam indigna haec, quae refellantur! quam ineptum est, detortum adeo sensum fingi a philosophis tam acutis, ubi obvius naturalis est, perspicuus ac cohaerens, cana Patrum omnium paradosi corroboratus! talem profecto sensum adeo violentum nullibi in SS. Literis reperient, imo apud profanos fieri, nefas esse dictabunt: Et quis Dei nomine insigniri potest, eoquod divinae voluntati patefaciendae hominibus sit destinatus, aut quis apud Deum fuisse dici potest, quod soli Deo notus esset? Tum temporis Joannes Bapt. Deo cognitus erat, & voluntati illi pariter hominibus manifestandae fuit destinatus, nec tamen de eo dicitur: Erat in principio.... erat apud Deum... & Deus erat; imo negatur: non erat ille lux; Verbum autem erat apud Deum, & Deus erat ab aeterno, & antequam mundus confieret, siquidem omnium creator est, ut v. 3. dicitur: Omnia per ipsum facta sunt. Praeterea si Jesus ob eximias tantum dotes & munera, non ex natura Deus esset, ut volunt, cur illum Deum adpellasset Evangelista, antequam divina illa susciperet officia? cur hominem factum Deum non dixisset potius, quam Deum factum hominem, seu Verbum caro factum? Sociniana etiam interpre-

tatio

tatio alia falsa est: Jesum Christum fuisse initio Evangelii; Angeli enim ad Zachariam & Mariam legatio initium est Evangelii, tum vero necdum conceptus erat Jesus in virginis matris utero, nec eo tempore Dei voluntatem adnunciavit, ut vel metaphorice Dei Verbum posset celebrari, sed nec Deus ratione ministerii, quod necdum obibat, dici potuisset, nec ratione electionis vel destinationis, quo sensu Moses dicitur Exod. 7, 1. אלהים לפרעה nam S. Paulus Heb. 3, v. 1–6. contrarium adserit.

I. *In principio erat Verbum.* Haec verba non initium S. Evangelii, nec mundi exordium, ipsum nimis recens denotant, sed quod semper exsistat verbum, significant. Recte Grotius adnotat Εν αρχι juxta heb. linguae idiotismum significare: Ab aeterno. Cfr. Prov. 8, 23. Mich. 5, 1. "Ecce veram philosophiam & divina dogmata, inquit S. Chrys. Hom. 1. 2. & 3. in Joan. non qualia gentilium, qui tempora & Deos, hos antiquiores, alios juniores posuerunt, sed nihil tale in nostra religione; nam si Deus est, nihil eo superius; si omnium conditor, primus; si Dominus, & Princeps omnium, omnia post ipsum creaturae & secula." Cfr. S. Basil. in haec verba S. Joan. Aug. Lib 6. de Trinit. Ambros. Lib. 1. de fide. Λογος Cerinthianae scholae mens quaedam divina erat, aliis eorum unigenitum Dei filium eundem cum Logo habentibus, aliis in ordinem aeonum Logon deprimentibus. Largiebatur Cerinthus, cum mundus hic adspectabilis fieret, Logon jam fuisse; at negavit, eum ab omni retro seculo fuisse, quo & unigenitus Filius, diversus ipsi a Logo, & lux & vita primo quasi partu editi erant, cui contradicens S. Joannes scribit: nullum temporis momentum

tum excogitari posse, quo Logos non fuerit, qui sub ipsa, liceat ita loqui, aeternitatis primordia a Deo sit editus.... Cum de terra Moses loqueretur, non scripsit: In principio erat terra, sed in principio creavit Deus — terram; quidni igitur pari modo Evangelista exorsus esset, dicens: In principio creavit Deus Verbum, si creatura esset: hoc Verbum antiqui Rationem, Sermonem, Sophiam sive sapientiam Dei adpellarunt. Cfr. Tertull. adv. Praxeam c. 5. quare aeternus Pater ad Filium ait Ps. 110.: Tecum principium: motiones Masoreticas hic nihil moramur.

II. *Et Verbum erat apud Deum.* Quemadmodum praecedentia verba aeternitatem significant, ita & sequentia: Hoc erat in principio apud Deum, coaeternitatem nobis ostendunt. Multa orientales illi haeresiarchae de beata aliqua Dei atque unigeniti sede, quae illis pleroma dicta est, commenti sunt: ab hac coeli sede Cerinthus aut Logon penitus arcebat, aut saltem sub initium excludebat; docet ergo S. Evangelista, Verbum cum Deo vel apud Deum ab aeterno subsistere.

III. *Et Deus erat Verbum.* Cum contra Philosophum S. Joannes disceptet, non tropice Dei nomen accipiendum est pro Magistratu, Rege, excellente persona, sed eo sensu, quem philosophi tribuunt vero ac summo Numini. Sensum naturalem obviumque nobis favere, non diffitentur Sociniani, sed malunt, ut ipsi fatentur, ad coactas durasque confugere exegeses, cum semel opinati sint, mysterium rationi repugnare, quod Deus factus sit homo, & pro homine passus.

IV. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Verbum ergo factum non esse, liquide adparet, per quod facta sunt

sunt omnia; & si factum non est, creatura non est; si autem creatura non est, ejusdem cum Patre substantiae est; omnis enim substantia, quae Deus non est, creatura est, & quae creatura non est, Deus est. Ergo non Dei nomen per tropum & orationis audaciam, sed res ipsa Logo tribuitur. Cfr. Coloss. 1, 15. 16. 17. Heb. 1, 10. 11. Et haec sententia, ut multi censent, Philonis & aliorum de Verbo est, cui etiam Targum consentit: per מימרא יהוה Verbum Dei mundum & omnia facta esse. Pergunt delirare Sociniani: Omnia intelligi quoad regnum gratiae, scil. verba illa ad creationem spiritalem, sive restaurationem generis humani restringunt.... Error erat Orientalium haereticorum Cerinthi, Nicolai, Gnosticorum &c., juxta Iren. cit. nequaquam a sapientissimo Numine mundum corporeum & spectabilem potuisse condi, sed a Demiurgo sive genio inferiore esse procreatum; sed hunc refutat S. Joannes,... Ipse Logos v 10. mundum, in quo erat, tametsi ab illo non agnosceretur, creasse dicitur, qui ipse mundus statim a populo Israel distinguitur.

V. *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* Commentus est Cerinthus, ut postea etiam Gnostici duos aeones a Logo diversos, quorum hunc vitam, illum Lucem nominavit, sed S. Evangelista haeresiarchis contradicit. Cfr. Joann. 5. ubi sermones Jesu argumento futuri erant, sententiae Cerintho oppositae. Testatur hic Christus, vitam se complecti, atque mortuos aliquando omnes ad vitam a se revocatum iri c. 5, 26--29. His ergo verbis haeretica destruuntur figmenta, quae aliam Dei emanationem Verbum, aliam Vitam in aeonum suorum insano systemate distinxerunt. Non igitur genius alius humanum genus vita donavit,

 sed

fed quidquid vita eft atque fpiritus, illud cunctis animantibus a Logo eft inditum: Et hoc tantum, folius omnipotentiae opus, cui nifi foli Deo referendum eft in acceptis?

VI. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quafi Unigeniti a Patre, plenum gratiae & veritatis.* Apoftoli videntes fplendorem divinae majeftatis in Jefu corporaliter inhabitantis, & in myfteriis transfigurationis, refurrectionis, afcenfus in coelum, doctrinae & miraculorum corufcantem, intellexerunt, illum effe unigenitum Dei Filium, quem & fe effe profeffus eft Matth. 16. Joan. 3.; talis autem dici nequit, nifi ea ratione genitus fit, qua fpiritus nullus a Deo productus eft. Haec omnia plus illuftrantur, fi cum S Joannis fententiis Chrifti verba & facta conferantur, quibus etiam S. Evangelifta dicta fua confirmat. c.2,19. 3,13-31. 5,17.18.19.20. 6,62. 8,58. 10,30. 14,9.10.11. 20,28. in quorum nonnullis feorfim fi minor ineffe videatur probandi virtus, maxima erit, fi cum initio S. Joannis comparentur, & facile adlucet, quomodo S. Evangelifta dicta, oracula & miracula Jefu acceperit, quibus Evangelium Cerintho oppofitum fulcit.

Multi cenfent, quod S. Joannes Gnofticos etiam impugnarit, eoquod ficut apud illos verba πληρωμα, μονογενης, ζωη, φως, ita etiam apud S. Evangeliftam occurrant; verum cum S. Iren. adv. Haerefes I.24. III.2. Hier. de Script. Ecclef. c.21. Epiph. Haeref. 21, 27. Chryf. in 1. Tim. 6. Clem. Alex. Strom. 7. Hegefip. apud Eufeb. Hift. Ecclef. Lib. 6. c. 8. Lib. 3. c. 32. Firmill. Ep. inter Cyprianicas n. 75. Tertull. &c. initium hujus haerefis figant in Sec. II. Illaque Philofophia Gnoftica nec Jofepho, nec Philoni videatur perfpecta fuiffe, cum tamen

de

de Judaeorum Palaestinorum sectis & placitis toties loquantur, multi cum Cl. Tittmanno concludunt, vestigia Gnosticorum in N. T. frustra quaeri.

Id genus philologi nomina & caracteres evangelicos ex hebraeo derivare malunt: sic Λογος sive דבר 2. Reg. 7, 21. legitur בעבור דברך propter verbum tuum. Sed 1. Paral. 17, 19. versu parallelo: בעבור עבדך propter servum tuum (David coram Domino gratus agnoscit) magnalia cuncta mihi fecisti. Cit. דבר ex 2. Reg. etiam LXX per δουλος exprimunt, ubi certe nemo nisi Messias solus intelligi potest. Cfr. Isa. 42, 1. 49, 1. 3. 52, 13. עבד scilicet sicut & מלאך apud Hebraeos aliosque Orientales Legatum significant, quin quidquam inconcinni contra Salvatorem ex eo redundet.... Pariter voces Φως, ζωη ex hebraeo elucent, & quid in V. foedere aeque usitatum ac חיים & אור, si de perfecta felicitate aliqua sermo fiat aut vita aeterna? cum e diverso calamitates vocabulis חשך שאול מות soleant proponi. Cfr. Ps. 36, 10. 71, 20. Isa. 9. 1. Joan. 10, 10. Ipse Salvator Isa. 49, 6. אור גוים dicitur, cui consonat Lucas 2, 32. & Joan. 8, 12. nomen idem Jesus sibi attribuit. Praeterea vocem μονογενης sive hebraeum יחיד Gen. 22, 2. 12. 16. Amos 8, 10. Zach. 12, 10. reperire licet, sicut etiam vocabl. πληρης χαριτος και αληθειας sive חסד & אמת Psal. 25, 10. 89, 15. collat. Joan. 1, 17. Tandem πληρωμα cum heb. מלא omnino videtur concordare, & v. 16. ita exponitur: De gratiarum ejus plenitudine ineffabilia & summa continuo beneficia accepimus, atque v. 18. ad morem discumbendi judaicum respici adseverant. Cfr. Matth. 8, 11. Luc. 16, 22. qua phrasi intima animorum conjunctio, bonorumque communio denotatur; in di-

vino autem Verbo eadem natura & cum aeterno Patre excellentia.

§ IV.

Epicrisis de vera Religione & Irreligione.

Evangelicus hic sermo in omnem pridem terram per Apostolos horumque successores exiit, & ita universali traditione christiana doctrina Catholica facta, ultra XVII. jam secula effloruit, nihil obstantibus incredulorum cujusvis aevi conatibus. Qua ergo fronte impii christianam religionem ceu novellum foetum, ceu sectam nullius nominis, humanae societati repugnantem, variantem, in momentis & fundamentis vacillantem, antiquitate destitutam audent criminari? Sine dubio, quia christianae fidei ignorant caracteres; blasphemant, quod ignorant, reprobationis signum perfricta in fronte gerentes.

Christiana religio aeterni & immutabilis divinae providentiae consilii opus extat, ab ipsis mundi cunis ceptum, typis Mosaicae legis adumbratum, per Christi in carne adventum Joan. 1. Heb. 1. absolutum atque perfectum. Aeternum hoc consilium ad secula omnia extensum mortalium nemini unquam poterat occurrere, sed Jesus Salvator noster, heri & hodie, ipse & in secula Heb. 13, 8. illud decrevit, quem dedit Deus caput super omnem Ecclesiam Eph. 1, 22. Agnus, qui occisus est typicis sacrificiis ab origine mundi Apoc. 13, 8. aeternis videlicet Dei decretis praecognitus ante mundi constitutionem, manifestatus autem novissimis temporibus 1. Pet. 1, 20. Ipse est, qui divinae huic religioni a se institutae ut promulgandae, ita & ad seculorum fines conservandae prospe-

profpexit. In Lege naturae providit per traditionem domefticam: in Lege mofaica per traditionem nationalem: in Lege Chriftiana per traditionem univerfalem feu catholicam, fingulari adfiftentia paftoribus, ne in tradendis fidei dogmatis aberrent, opitulans.

Profecto increduli, quorum impietas hoc aevo atra pefte ferocior tam rapidos fecit progreffus, has religionis ignorant praerogativas. Morum corruptio, luxus, avaritia, fuperbia obedientiae omnis impatiens, indomita ac effrenis fentiendi & quidlibet audendi licentia, libido &c. effecere, ut hoc majore odio & furore in chriftianam religionem excandefcant, quo illa fanctior, & meliora vitae recte inftituendae praecepta miniftrat.

§ V.

Progreffus Irreligionis.

Recentes ethnici nihil proferunt novi, fed miferam cramben a prifcis Gentilibus, Epicureis Haereticis commodatam infeliciter recoquunt.

Haeretici fuperbia & praefumtione fpiritus exciti, ac ingenio fuo nimium indulgentes traditionis Ecclefiae ejusque Paftorum auctoritatem, unicum confervandae avitae religionis medium ab ipfo Chrifto inftitutum contemfere: aft vero miferis non fuboluit, fortiffimo hoc muro femel diruto erroribus omnibus viam pandi, ipfaque chriftianae religionis fundamenta in difcrimen adduci. Mox enim Sociniani Proteftantium morem fecuti myfteria, dogmata, verbi divini oracula ad folum rationis tribunal citarunt, & quae menti funt impervia, rejecerunt.

Quibus armis Novatores traditionem Dogmatum impugnarunt, iisdem nunc ictibus Factorum traditionem impii quatiunt, atque omnis moralis seu historicae certitudinis subruunt fundamenta.

Novatores ut traditionem convellant, improbe contendunt, Ecclesiae Pastores evangelicam immutasse doctrinam, ac dogmata pleraque Theologiae Scholasticae esse inventiones. Increduli iisdem ducti rationibus dicere non abhorrent, Apostolos Christi doctrinam male intellexisse, adulterasse, Paulum & Successores fidei, quam profitemur, systemata procudisse.

Omnes calumniae, quibus sancti Patres, Apostolorum Successores, quidam in Canone nostro libri, miracula in Ecclesia catholica conspicua a Protestantibus impetuntur & exsibilantur, ab incredulis contra Apostolos, contra universum Canonem, & cuncta Jesu & Apostolorum signa & portenta impiis vertuntur cachinnis.

Novatores cum praetensae reformationis suae coriphaeos ob inordinatae vitae passiones, & quos discipuli erubescunt, errores viderent redargui, & ageretur de Missionis examine, ut sese extricarent; etiam Apostolos erroribus ac passionibus humanis fuisse obnoxios responderunt. Ex falsis his accusationibus concludunt impii, Apostolos haudquaquam esse missos ad mundum illuminandum, ad corrigendos hominum mores. Mox etiam blasphema haec censura in ipsum Christum, ejus doctrinam, vitam, consilia, virtutes est detorta.

Tandem cum Novatores Ecclesiae auctoritatem respuentes suis in principiis ultimate ad rationis arbitrium cogantur recurrere; horum exemplo eruditi Deistae nullam amplius revelationem admi-

admisere; quinimo plures religionis naturalis veritates suffodere, & in dubium vocare ausi sunt. Materialismus vero illorum argumentis stipatus veritus non fuit, superbum attollere caput, & ipsam Numinis inficiari exsistentiam. Sceptici diversorum horum systematum conflictu attoniti & confusi decreverunt, nihil certum esse, atque Philosophum in religionis morumque negotio debere ambigere. Hinc nata indifferentia circa omnes opiniones, quae alio nomine adpellatur Tolerantia.

Progressio ista luculente patet ex epochis Sectarum ac editis de iisdem Operibus. Lutherus dogmata sua cepit disseminare 1517. Calvinus 1532. Lelius Socinus & Gentilis 1550. Viretus Reform. primorum Deistarum mentionem facit in lib. Instruct. Christian. 1563. Vanini Atheus apertus extremo supplicio affectus est 1619. Spinosa quadraginta postea annis prodiit. La Motte Le Vayer & Bayle, ambo Sceptici sub finem ejusdem seculi scripserunt.

Inter diversas Protestantium & Socinianorum disceptationes parem in Anglia progressum fecit incredulitas. D. Herbert de Cherbury systema Deismi in libro de Veritate formatum 1624. edidit. Hobbes, Tolandus, Blount, Schaffesbury, Tindal, Morgan, Chubb, Collins, Woolston, Bolingbroke eum secuti sunt. Postremus uti & Hobbes ac Tolandus Atheismi semina jecerunt David Hume data opera Scepticismum professus est. Galli increduli, qui stentoreos hodie excitant clamores, nonnisi Anglos compilant.

Diversae hae sectae, ut doctrinam suam stabilitum eant, una omnes Tolerantiam exigunt, sed nihil minus, quam hanc illae observant, modo vires suppetant. Exemplo sint primi Reformato-

res, ut dici amant; sed eorum principia si advertantur, Tolerantia deberet esse illimitata, quam aeque Judaei, Mahomedani, Pagani, Deistae, Athei ac Haeretici possunt praetendere: ejusmodi autem Tolerantiam errorum omnium fomentum esse, omnisque religionis stragem, ipsi moderni Philosophi annuunt Encyclop. v. Atheisme & v. Fanatisme.

Ita hostes revelatae religionis, quos tradidit Deus in reprobum sensum Rom. 1, 28. mutuis sese armis debellant: Sociniani nimirum Protestantibus, Deistae Socinianis, Athei Deistis, Pyrrhoniani Atheis demonstrant contradictiones: quicunque igitur ratiocinium ostentare cupit, aut Christiano-catholicus, aut incredulus & pyrrhonianus esse debebit.

Utile est, ut de obscuritatibus divinarum Scripturarum, quas exercitationis nostrae causa Deus esse voluit, multae inveniantur sententiae, cum aliud alii videtur, quae tamen omnes sanae fidei doctrinaeque concordent. S. Augustinus ad Paulin. Ep. Edit. Colon. Epist. LIX. pag. 117.

JO-

JONAS

Chriſti morientis, ſepulti & redivivi typus
ab ipſo Domino
ex Jonae 2, 1. &c. in Matth. 12, 39. 16, 4. Luc. 11, 29.
propoſitus.

Caput I.

Typica ſacrarum literarum hermenia.

§ I.

Τυπος praeſentium ſive futurorum imagines ſiſtit & figuras, praeſertim V. T. geſta, quae ad Chriſtum Salvatorem in novo foedere exhibendum reſpiciunt, eumque in vita, paſſione, morte & ſubſecuta praeſignant gloria.

De etymologia vocis, diverſaque apud profanos acceptione minus ſolliciti, homonymiam ex Joan. 20, 25. Act. 7, 43. 23, 25. Rom. 6, 17. Philip. 3, 17. 1. Theſſ. 1, 7. 2. Theſſ. 3, 9. 1. Tim. 4, 12. Tit. 2, 7. 1. Pet. 5, 3. expendimus; Synonymiam vero Exod. 25, 40. Amos 5, 26. perſpicimus. Hic צלם, illic תבנית vocabulo τυπος a LXX. uſurpato reſpondent. Etiam hebr. משל Ezech. 24, 3. perinde ac Arabibus ſolenne huc poſſet referri. Typus autem in N. T. adpellatur Coloſſ. 2, 17. Heb. 8, 5. σκια & υποδειγμα: alias Matth. 12, 39. σημειον, Heb. 9, 9. παραβολη.

Siquidem divina Jeſu beneficia humano generi tempore carnis praeſtita V. T. Patribus nonniſi ſubobſcure velut ex quadam σκιαγραφια fuerint oſtenſa, cfr. pag. 25.; placuit aeterno Numini Evangelium gratiae peccatoribus occulere, dum per ſanguinem crucis Chriſti offenſo Deo reconciliati eſſemus, & chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, deletum, crucique eſſet adfixum. Hucuſque reatum ſuum lapſus homo viderat, & his ſub umbris veniam praeſenſit & ſalutem. . . . Dum Rom. 5, 14. Adam dicitur Τυπος τȣ μελλοντος, atque Chriſtum inter & protoplaſtum, diſſimilium potius quam ſimilium adornatur comparatio, id quod non obſcure Προτασις denotat v. 12. & Αποδοσις demum inſinuat, typus ſenſu ſumitur ampliore.

§ II.

Αντιτυπος (idem quod archetypon ſive prototypon) res eſt per typum praeſentata, ſive id, quod icones adumbrant; haud recte igitur V. T. figurae, primaque haec lineamenta a nonnnullis Scriptoribus ita vocantur.

Ita S. Petrus 1. Ep. 3. dum ſervatos in diluvii undis octo homines ex Gen. 6. 7. 8. meminit, v. 21. huic conſervationis typo ſubjungit e regione & ut antitypon conſonare N. T. baptiſmum, primum ſalutis noſtrae medium. Antitypon alias Coloſſ. 2, 17. σωμα dicitur, quod τη σκια opponitur ex quo verſus 9. exegeſis: In Chriſto inhabitat tota plenitudo divinitatis σωματικως, aperte relucet; ſub legis enim paedagogo cfr. Gal. 3, 23. 24. Jehova in templo & ſuper arca foederis in propitiatorio habitare dignatus eſt, ſed tantum τυπικως: Illa enim divinae praeſentiae ac potentiae ſacratum

fuit

fuit quodpiam ſymbolum; At dum venit plenitudo temporis, tota plenitudo divinitatis σωματικως vere & eminente modo in humana Chriſti Soteris noſtri natura inhabitat, quae omnia ad clariorem proferuntur lucem Heb. 9, 23. 10, 1. Joan. 1, 17.

§ III.

Typus prophetiae ſive propheticus in actionibus conſiſtit & viſionibus. Actio Prophetae typica eſt, quando ſacer Vates eo, quod jubente Deo exterius peragit, myſticum quid & occultum deſignat. Viſio alia dormientibus, alia vigilantibus divinitus eſt immiſſa: Alia citra figuras & typorum involucra futuros praenuntiat eventus: alia figuris ac typis tecta.

Deus, qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuae Eph. 1, 11. olim multifariam multisque modis locutus eſt Patribus per Prophetas Heb. 1, 1. Hae vero manifeſtationes potiſſimum fiebant בחלום פה אל פה בחידות בתמנה במראה: quae indicantur omnia Num. 12, 6. 7. 8. occaſione Aethiopiſſae uxoris Moſis, dum Maria & Aaron ſuccenſentes Moſis praerogativas coeperunt convellere. Recte proin S. Irenaeus Lib. 4. c. 37. edit. le Preux pag. 268. non ſolum, inquit, ſermone prophetabant Prophetae, ſed & viſione & converſatione & actibus, quos faciebant ſecundum id, quod ſuggerebat ſpiritus ſanctus.

Actiones quod concernit, Iſaias c. 20, 2. ad cladem Aegyptiorum & Aethiopum adumbrandam nudus incedit: juxta multos absque tunica Prophetis uſitata; ſed ex heb. adparet, quod jubente Deo veſtem inferiorem vel ſaccum, quo ex luctu ob corruptos Iſraelitarum mores erat accinctus, diſcin-

discinxerit, :פתחת השק מעל מתניך ita ut hinc inde miserorum instar pars nudae cutis posset videri; quod vero ערום v. 3. ex Orientalium phrasi etiam denotet male tectum colligitur 2. Reg. 6. 14. 20. In hujusmodi actionibus quidquam regulis decori aut divinae sanctitati adversari, nunquam cum Tindalio evincent casti & pudici scilicet hoc aevo nostro libertini ac bibliomachi. Utique hae symbolicae Prophetarum actiones primo obtutu videntur insolitae; ast divinum praeceptum oportet perpendere Ezech. 12, 3. duram idololatrarum indolem & perfrictam frontem, atque temporis ad morum perniciem profligatissimi adjuncta omnia: Hoc modo scelerum gravitas, & ingruentium calamitatum moles vehementius obstinatos peccatorum animos commovit & perculit, salutarique timore perstrinxit, quam sola utut frequentata sanctorum Vatum paraenesis, ab impiis plerisque flocci aestimata. Etiam Jeremias c. 13, 1–6. usurpato symbolo zonae lineae & inebriantis lagenae adventantem Judaeae cladem ac captivitatem graphice depingit. C. 27, 1. rursus adsumto jugi ac vinculorum symbolo Judaeorum, vicinarumque gentium praedicit captivitatem, suadetque, ut sponte Chaldaeorum Regi sese dedant, nec Prophetis pacem ac prospera spondentibus fidem habeant.... Oseas c. 1, 2. populi Israel idololatriam (spiritualem fornicationem Ezech. 16.) symbolice proponit: Certe indignum nihil divinis attributis in hoc facto occurrit: קח לך אשת זנונים :וילדי זנונים nam filios ab uxore sua Gomer antea meretrice, nunc vero adhuc incontinente & quidem adultera prognatos jubetur benigne assumere, hisque prolibus vatidica imponit nomina, sub qua imagine Israelis idolomaniam, imminensque triste

repu-

repudium proponit & exitium.... Tandem Salvator noster Matth. 21, 19. ficui fructibus carenti maledixit, quae etiam mox exaruit, in emblema poenae Judaeis infligendae ob eorum spiritualem sterilitatem ac hypocrisin: haec gesta omnia contra virulentos illusorum cachinnos facili negotio vindicantur.

Visiones dormientibus oblatae. Somnium Jacobi Patriarchae de scala mysteriorum plena Gen. 28, 12. cujus Servator ipse interpres Joan. 1, 51.: Videbitis coelum apertum, & Angelos Dei ascendentes & descendentes supra filium hominis. h. e. Indies plus intelligetis, me esse illum ipsum, quem Jacobaeae scalae visio praefiguravit.... Gen. 37, 5. duplex Josephi visio, cujus eventus ad ipsam patris & fratrum explicationem sat comprobatus. Gen. 41. Visio Pharaonis de 14 vaccis totidemque aristis.... Dan. 2, 29. Nabuchodonosoris imago typica & symbolica de 4 Monarchiis & exciso lapide, regno scilicet spirituali Messiae, hasque binas etiam infideli obtigisse notetur.

Visiones vigilantibus oblatae. Jeremias c. 24. duos calathos videt ficuum bonarum & malarum, quarum alia Ecclesiae Judaicae & Christianae instauratio, alia vero Sedeciae & populi judaici deportatio divinitus manifestatur.... Ezechiel c. 8, 9. 10. 11. 37. varias Judaeorum persecutiones, clades & restitutionem in typo ostendit.... Dan. c. 8, 1. Aries bicornis & hircus caprarum unicornis adparet, quam visionem S. Gabriel Archangelus de constitutione regni Mediae ac Persidis, deinde Graeciae, sive Macedonici imperii, ac postremo Seleucidarum, deque calamitatibus Judaeis per Antiochum Epiphanem infligendis explicat v. 19. & seq. De reliquis cfr. Amos 7, 1. 4. 7. 9, 1,

Zach.

Zach. 1, 8. 2, 1. Has inter propheticas visiones plerasque antitypa in ipso textu sat relucent; in nonnullis vero interpretatio deest, quae desumenda est vel ex circumstantiis, vel συναφεια textus, vel aliis S. Scripturae locis, vel ex ipso symbolici oraculi complemento atque eventu. Huc etiam refertur Joannaea Apocalypsis, quae futurum Ecclesiae statum variis symbolicis typicisque imaginibus divinitus proponit. Illam merito S. Hieronymus in Ep. ad Paulin. scribit, tot habere sacramenta, quot verba.

§. IV.

Typus historiae sacrae est sensus S. Scripturae mysticus, quo V. T. gesta, & praesertim sacerdotii, cultusque judaici constitutio res novi foederis, maxime autem Christum adumbrant, omnium legalium ceremoniarum antitypum & scripturae universae scopum ac nucleum. Hic typus innatus est, vel illatus.

Innatus in ipsis S. Literis promicat, dum expresse vel tacite insinuatur, quod res quaedam gesta vel ceremonia N. T. eventum aut Christum sensu mystico adumbret. Sic explicite serpens aeneus Num. 21, 8. 9. typum gessit Christi Joan. 3, 14. 15. in cruce sublati, & a serpentis stygii morsu fideles suos persanantis. Heb. 5. & seq. sacrificiorum in Levitico sacerdotio oblatio Christum praefigurat sacerdotem. Implicite Josua c. 1. Dux populi Israel ad terram promissam, Christi ad coelestis patriae quietem nos inducentis typus insinuatur. Heb. 4, 8. Manna Joan. 6, 32. 33. typus est vivificae Christi carnis. Cfr. Exod. 12, 3. 1. Cor. 5, 7. de agno paschali, de hirco Azazel sive emissario

rio Levit. 16, 10-21. Joan. 1, 29. 1. Pet. 2, 24.: de Isaac Gen. 22, 2. 12. Rom 8, 32. Heb. 11, 19.: de populo Israel Exod. 4, 23. Matth. 3, 17.

Illatus typus est, quem S. Literae non ostendunt, sed homiletici Interpretes inferre amant: Sic Samsonis factum aliegenam ducentis, morteque sua hostes opprimentis, ratione commoda fideique analoga ut typus Christi, qui Gentium Ecclesiam assumsit, & moriendo hostes devicit, explicatur. Pariter gesta Joseph Gen. 37. &c. Aaronis deprecatio Num. 16. Davidis de Goliath triumphus 1. Reg. 17. pluraque alia typis solent accenseri. Cavendum tamen est ab inconcinnis typis ac contortis, in quo genere interpretandi permulti genio suo indulsere, sed cum modica fidelium aedificatione.

Tandem inter typos alii ipsum Christum respiciunt, scilicet sanctissimam ejus vitam, acerbissimam mortem, gloriosam anastasin, & exaltationem; alia vero, quae Christum attinent: ita diluvium Noeticum 1. Pet. 3, 21. baptismatis est figura. Panis & vinum a Melchisedec productum Gen. 14. Manna Exod. 16. Agnus paschalis Exod. 12. Sanguis foederis Exod. 24. Panes propositionis Exod. 25. sacrae Eucharistiae typi occurrunt: ex quibus simul patet, quid intersit discriminis inter typum rerum gestarum, & typum ceremoniarum.

§ V.

Typi futurorum sunt partim stati aut repetiti, partim peculiares: alii totales, aliique partiales.

Varia sacrificiorum genera unum excellentissimumque Filii Dei sacrificium continua figura praesagierunt; Agni vero paschalis mactatio Exod.

12.

12. Hirci Azazel in desertum emissio Lev. 16. Sacerdotis summi in sanctum sanctorum ingressus Heb. 9, 7. in singulos recurrerunt annos.... At singulares erant typi, Isaac immolatio Gen. 22. Aenei serpentis erectio Num 21. Triduana Jonae in ventre piscis commoratio Jon. 2.

Vix typus ὀλικος in SS. Literis explicate habetur, qui in omnibus aut certe potioribus suum semper prae se ferat antitypum, nisi quis Leviticum sacerdotium ita velit insignire; siquidem cuncta in illo occurrentia Paulina Epistola ad Hebraeos expresse aut implicite ad Christum referat; nihilominus Interpretes non pauci totales statuunt typos, qui omnia Josephi, Samsonis &c. gesta Christo adcommodant, exceptis tamen semper erroribus, in quos eos contigit incidere, quos ad corpus Christi mysticum juxta Tichonii canonem referunt. Typus μερικος una tantum alterave re exhibita, in certo statu aut conditione suum exprimit antitypum: sicut Jonas Jesu praecipue mortem & in sepulchro quietem typice adumbrat. De his uberrime perscripserunt Salomo Glassius Sect. 4. de typis: D. Michaelis in opusculo: *Entwurf der typischen Gottesgelartheit, Zweyte und vermehrte Auflage....* Pro colophone hermeniae typicae sequentia subjungimus porismata.

1. Dispiciendum est, an in sacro textu agatur de officio Messiae, de gratia divina, redemtionis lytro, hostium deletione, sique ad veteris Instrumenti emphasin & majestatem etiam N. Foederis jubar accedat & explicatio, male interpretatio alia fingitur.

2. Plus saepe est in typo, quam in antitypo, & vicissim.

3. Si

3. Si plures ſint typi partiales, tum ex his omnibus ſimul ſumtis de antitypo oportet arbitrari.

4. Advertendum eſt, an umbra, aut ipſa proponatur veritas.

5. Impii, in quo fuere tales, Chriſti figura haud conſtituuntur.

6. Res una nonnunquam duorum, etiam contrariorum eſt figura; ſed alia aliave ratione.

7. In typis & antitypis enallage nominis perſaepe locum obtinet.

CAPUT II.

Jonas inſignis Jeſu Chriſti typus, & ſpirans quaedam prophetia.

§ I.

Jonas minores inter Prophetas quintus Niniven de impendente coeli ultione edocere juſſus, divinum negligit praeceptum, & a portu Judaeorum mediterraneo Joppe ſive Japhae Tarſum Ciliciae fuga adnititur contendere.

Ad Ninivitas Deus Jonam miſit, ut ſuam pariter erga Gentes demonſtraret clementiam, ſeque non ſolum Judaeorum, ſed Gentilium quoque curare ſalutem oſtenderet. Cfr. Theodoret. in Prol. Comm. in Jonam. De Jona filio Amathi ex Galilaeae viculo Geth-Opher in tribu Zabulonitide orto pace noſtra diſceptent ac comminiſcantur Rabbini, 1) Num fuerit viduae Sareptanae filius vitae ab Elia reſtitutus. 2) An vero Sunamitidos natus ab

Elisaeo ad vitam revocatus. 3) Aut idem Propheta, qui monente Elisaeo Jehu Regem consecravit.... Certe ex dicto Prophetae hujus ortu aperte Judaeorum error confutatur Jesu aevo opinantium, ex Galilaea Prophetam non proditurum. Cfr. Joan. 7, 52.... Verum an pariter fabulae de Andromeda, aliaeque de Hercule ac Arione ex sacra hac historia procusae sint, discutiant profani, quibus otium est, atque unicae sunt deliciae, seclusis SS. Literis in mythologia versari. Cfr. S. Hier. in C. 1. Jonae & Epitaph. Paulae.

Jonae character haud fuit, sicut oportuerat. Inobediens Dei legatus est, dumque divina misericordia ad urbis scelestae poenitentiam ab ultione desiit, aegre hoc tulit, ac murmura reddidit. Curatius suum, quam divinum cupiit honorem, sicut Domini patientia non parum abuteretur. At vero discant Bibliomachi, revelati verbi לצים, sapientissimo Numini justis de causis placuisse, ejusmodi seligere ad Ninivitarum missionem instrumentum, & ad absterrendos a flagitiis peccatores, quod humana ratio ad arduum adeo negotium prae cunctis ineptum posset aestimare. Discant sodes! hoc ex documento, quam divinus sermo vivus & efficax, & quovis ancipiti gladio acutior ac penetrans usque ad divisionem animae & spiritus compagumque & medullarum & animi cogitationum consiliorumque Judex. Cfr. Heb, 4, 12. Ex quo affatim patet, omnipotentem divini verbi virtutem, efficaciam & gloriam nequaquam ex dotibus cujusdam divini nuncii esse emetiendam.

Attamen haec Jonae gesta non intemperanti ac malevolae crisi sunt subjicienda. Verum est, ויקם לברח מלפני יהוה Surrexit, ut fugeret a facie Domini; sed causam c. 4, 2. significat: Pertimuit enim

enim divinae clementiae gnarus juxta difficultates ceteras ac pericula infame Pſeudoprophetae nomen & poenam.... Num adeo deſipuerit Propheta,ut in animum induceret, extra Palaeſtinae oras e. g. in mari a Jehovah praeſentia ſe fore ſejunctum? qui c. 1, 9. profitetur, ſe hebraeum eſſe, Deumque coeli timere, qui fecit mare & aridam?... Sicut "coram Domino ſtare," promtiſſima obedientiae officia ab Angelis, Legatis &c. praeſtanda, ita "fugere a Domino" divini juſſi neglectum hic denotat.... Alias Rabbi Kimchi in Jon. 1. 3. "Fugit Jonas מלפני יהוה ita opinatur: Cogitabat Jonas, ſi exiret de terra Iſrael extra terram, non commoraturum eſſe ſupra ſe ſpiritum prophetiae. Cfr. Bened. Carpzov. Notas in Schickardi Jus regium Hebrae. Edit. Lipſ. pag. 204. Vah rabbinicas ineptias!

Dum tandem hanc inobedientiam coram nautis omnibus, jactis deprehenſus ſortibus fatetur, & hic de poena mortis promerita, divinoque arbitrio intime perſuaſus, illic ſupremum prorae & puppis diſcrimen cernens poſtulat in mare projici: qua criſi, quo jure Viro huic dicam autochiriae ſcribere audent vitae V. T. Sanctorum maſtiges?

§ II.

Jonas dum ex navi detruditur, divino accidit conſilio, ut piſcis immanis illum fluctibus obrutum deglutiret, tum illico oborta eſt tranquilla malacia.

Inſulſius nihil quisquam poſſet ſomniare,quam ſymbolicam loci hujus de vario judaicae reipublicae ſtatu expoſitionem, qualem ementitus eſt Herm. de Hard, ut illuſtre hoc prodigium poſſet inficiari, in quo tamen commento minime conſtans eſt. Neque reſponſo digni ſunt ceteri, qui cum Clerico,

J. P. Burggrafenio, Mutiano Rufo a litera deſciſcunt ad allegorias, & fabulas morales.

Merito contra Interpretes multos Wilh. Rondeletius Lib. 13. de Piſcibus c. 12. & Ulyſſ. Aldrovandus negant hunc piſcem fuiſſe balaenam, cum hoc monſtrum nimis anguſta gula, & minore hiatu inſtructum ſit, quam ut virum ſorbere poſſit, neque in mari Phoeniciae balaenae dentur teſte Gill. Sacra hiſtoria mentionem tantum de דג גדול ingerit, & vox κητος Matth. 12, 40. ſimilem fert notionem, atque dictum vocabulum jam Heſychius in Lexico declaravit: θαλασσιος ιχθυς παμμεγεθης.

Neque neceſſum eſt, ut piſcis inter cunctos maximus ſtatuatur, dummodo piſcis quidam abſorbendo viro integro ſuppar fuerit. Inter monſtra marina Bochartus Hierozoic. p. 2. Lib. 12. cenſet fuiſſe canem Carchariam, alias Lamiam, Batavis vero Haye adpellatum, qui anthropophagus & notior adhuc ſub hiſpanico aut luſitanico nomine Tuberonis. De inſatiabili hac pelagi hyaena permulta narrant in libris ſuis & epiſtolis oculati teſtes Cattaneus, Dellonus, Kolbius, Puchotus &c.; ſed alii poſt Theodor. Haſaeum potiora adferunt fundamenta pro Cachelotte, quem Plinius Orcam dicit Hiſt. Nat. Lib. 9... Laudatus Haſaeus etiam docet in Tractat. de Leviathane Job & Ceto Jonae, non obſtante vocabulo במעי ex linguae hebr. uſu propugnari poſſe, Jonam tantum in faucibus monſtri marini ſive delphini Orcae depoſitum haeſiſſe. Cfr. Anderſons *Nachricht von Island, Grönland und der Straſse Davis.*

Et licet necdum ſatis evictum ſit, çujusmodi fuerit piſcis; certum tamen habetur, tam grandes & immanes reperiri piſces, qui Jonam potuerint deglutire, quin Bibliomachorum & incredulorum

cavilli

cavilli eam hiſtoriam elevent, aut recentiores pagani de relata ſibi victoria queant adplaudere, ſcilicet fabellam a ſe detectam eſſe.... Si quae SS. Literae de Jona tradunt, apud Homerum, Ovidium, Valerium Maximum, aliumve Gentilem vel in vita Apollonii Thyanaei legerentur, quam magnificis illa verbis praedicarent? nunc cum Propheta hebraeus, gravis profecto ſcriptor, fata ſua tranſcripſerit poſteris, narrationem totam ludibrio habent, utique ex ſpiritu Juliani Apoſt., Porphyrii, Libanii. Cfr. S. Auguſt. Epiſt. 102. in quaeſt. 6. de Jona. Proh! qualia portenta riſu digna Paganorum ſuperſtitio oggerit de theogonia, de metamorphoſi e. g. Jovis, Mercurii, Vulcani, Cadmi &c. in quibus paſſim turpiſſima Deorum patent flagitia!

§ III.

Equidem in marinae belluae alvo Deus Jonam potuiſſet a morte protegere; attamen veriſimilius cenſetur, Prophetam in fluctibus interiiſſe, itaque extinctum, a piſce abſorptum, ac tandem poſt triduum vita redonatum, ſtatimque terrae eſſe expoſitum.

Ita S. Hilar. ſenſit in Pſal. 68. Edit. Baſil. pag. 441. "Imitator, ait, ille dominicae mortis & temporis Jonas mari merſus, cetoque ſuſceptus, non tam in mari ſe, quam in inferno poſitum teſtatur. Huic quoque ex Veteribus ſententiae accedunt Auctor QQ. ad Antioch. inter opera S. Athanaſ. quaeſt. 6. & Auctor QQ. ad orthod. Quaeſt. 64. Tertull. de pudicitia C. X.: "Exemplum, ait, paſſus eſt dominicae paſſionis.

Hac ratione etiam antilogia facili negotio componitur, Jonae 2, vv. 2. & 11. Oravit ſcil. Jonas ad Dominum Deum ſuum de ventre piſcis; & ta-

men haec oratio euchariſtica eſt pro impertito jam divinae liberationis beneficio, cujusque emphaſes cunctae tempore praeterito deſcribuntur. Jonas igitur mortuus, in ventre piſcis ceu ſepulchro recubuit, & ad vitam revocatus, atque in terram ejectus dictas fudit preces. Haec ſuadent adjuncta rerum omnia, majorque typum inter & antitypum Jonam & Chriſtum ſimilitudo.

Jonas in procellis naufragus nautas a praeſente morte aſſeruit, imo pro navigantium ſalute ſponte ſe morti obtulit; poſtea actutum mare a furore ſuo deſtitit c. 1, 15. Piſcis igitur Jonam e navi projectum non illico hiante devoravit rictu, ſic ut vivus piſcem intraret. cfr. c. 2. Ventis potius ac procellis aliquamdiu conflictatus, antea gemitus inter & clamores ad Deum precatus eſt, & tandem aquis oppreſſus periit: Hoc modo Jonas Filium Dei ſingulari typo praefigurat: Cfr. Heb. 5, 7 -- 9. ne vero corpus Jonae ullo modo piſcium minorum abſumeretur ingluvie :וימן יהוה דג גדול לבלע את יונה atque in triduana hujusmodi manſione egregius Jeſu ſepulti ac redivivi typus eſt. Cfr Joan. 2, 19. Si vero in ventre piſcis vivus interea manſiſſet, is minus fuiſſet.... Atque hoc in ſtatu ſi divino prodigio vivus perſeveraſſet, nonne domicilium Jonas periculi, horroris & aerumnae plenum, morte quavis acerbius nactus fuiſſet, in qua demumcunque ceti parte haeſitaſſet? Et quot miracula debuiſſent perfici & multiplicari, quae tamen ſacer Scriptor penitus ſilet? Has ex veterum Interpretum opinione recurrentes difficultates, quae ſemper typum extenuant, copioſe & virulente exaggeravit Voltaire, ut librum Jonae de auctoritatis gradu diſturbaret.

§ IV.

§ IV.

Sententiae huic precantis Jonae verba c. 2. relata non adverſantur; nam illa ſtatim protulit vel reſuſcitatus, vel in terram ejectus.

Equidem "oravit Jonas de ventre piſcis", ſed cum textus hebr., ad cujus normam difficultas & cit. capitis antilogia exigenda, legat ויתפלל יונה ממעי הדגה: atque hoc ו ex contextu perſaepe denotet: Poſtea, Quapropter, &c., velut hebr. linguae tyro quivis haud diffitetur, ſimulque luculente c. 2, 1. adpareat, Jonam reipſa jam triduò in piſce commoratum eſſe v. 2., cetera potius, quae poſt triduum illud Jonae accidere, recenſentur. Accedit, quod vox ממעי quod manifeſte במעי v. 1. praecedenti opponitur, ſignificet "extra ventrem piſcis". ſcilicet, poſtea extra ventrem piſcis oravit. Cfr. Levit. 10, 7. 1. Paral. 17, 5. ita etiam graeca particula ἐκ 2. Cor. 5, 8. explicatur. Profecto ſi Jonas in piſce vivus ita ad Dominum oraſſet, S. Scriptor eodem, quod praeceſſit vocabulo במעי fuiſſet uſus. Cfr. Wilhelm. Greens *Kommentar über einige poetiſche Stücke des alten Teſtaments* pag. 266.

V. 3. Anguſtiae ſuae meminit ac aerumnae, & quidem jam praeteritae, quam in mare projectus & morti proximus eſt perpeſſus; hanc autem in ventre piſcis non ſuſtinuit, quia hoc in ſtatu typus fuit Jeſu mortui ac ſepulti. v. 4. Si illico piſcis ejectum Prophetam deglutiiſſet, iſta nequiiſſet dicere. v. 5. Mortis timorem deſcribit, ſpemque de peccatorum venia, brevique reſuſcitatione ex divino illapſu animo ſuo injectam. vv. 6. & 7. affatim oſtendunt, Jonam in fluctibus periiſſe, neque haec verba viro in piſce viventi queunt adcommodari, bene vero ferventi pelagi aeſtu in abyſſum

absorpto. Verba seq.: ותעל משחת חיי recte exprimuntur: "Servasti me a corruptione, vel a morte me resuscitasti." vv. 8. 9. 10. celebrat Deum, quod deficiente spiritu, dum clamare in fluctibus porro nequierat, ultimi gemitus ad templum Sanctitatis ejus pertigerint. Jehovae soli, Deo suo acceptam refert salutem, votaque cum sacrificiis exsolvit. v. 11. Si hic verba וימן יהוה ut necesse est, & ad normam dialecti hebr. licet, interpretemur: Disposuerat vero Jehova, ut piscis exspueret Jonam in aridam, quo in loco utprimum sibi redditus, suique compos eucharisticas has preces (potissima ex parte de Psalmis commodatas) obsecravit, singula apto fluunt ordine. Ex his perspicuum est, quod, si Jonas non vivus, sed mortuus in pisce per tridui decursum perseverarit, Servator concinne quoad suum post necem fatum se huic compararit Prophetae.

Post haec secunda vice Jonas Niniven abire, & Domini verba jubetur adnunciare. Hic Jon. 3, 3. Ninive dicitur: עיר גדולה לאלהים מהלך שלשת ימים: Prima locutio ex dialect. hebr. urbem notat longe amplissimam. Secunda: "Civitas magna, itinere trium dierum" immerito ceu paradoxa & ridicula bibliomachorum cachinnis traducitur namque cogitandum est, Orientis civitates longe a nostris distare; aedibus enim ac palatiis suis hortos & praedia habuere contigua, ita, ut teste Aristot. Politic. 3, 3. talismodi urbs ambitum habeat gentis potius, quam civitatis. Quam diserte haec veritas a profanis corroboretur, videant increduli apud Strabonem Lib. 16. Geograph., qui Niniven Babylone adserit majorem, & apud Diodor. Siculum Biblioth. histor. Lib. 3. necessarium vero non erat

trium

trium dierum iter ad peragrandas ſolas urbis hujus plateas. Jonas itaque cfr. c. 3, 4. urbem ingreſſus primam ejus portam, id quod diei unius erat negotium, concionando obivit, & poſteris ſimiliter diebus plateas luſtravit & vicos. Cfr. S. Hieron. in h. L.

At Jonas propheriam ſuam, parcente Deo, fruſtratam eventu cernens prae moerore expetiit ſibi mortem. Solliciti hic Interpretes non deſunt, qui Prophetam nitantur excuſare, quibus hoc relinquimus officii. Propoſito interea virgulti exemplo Jonas a Deo corripitur, quod arefactum vehementer indoluit, quod tamen nec ſeverat, nec coluerat, ac inde didicit, quam immerito doleret, Deum civitati tam ingenti pepercisſe, in qua erant plus quam centum viginti hominum millia, אשר לא ידַעבין ימינו לשמאלו; qui non peccarunt.

Virgultum hebr. הקיקיון exprimitur, cujus formam curatiſſime S. Hieron. in h. L. & Epiſt. 89. ad S. Auguſt. Edit, Colon. delineat. "Lata, ait, habet folia in modum pampini, umbram denſiſſimam. Celeriter creſcit, & ſuo trunco ſe ſuſtinet absque ullis calamorum & haſtilium adminiculis, quibus hederae & cucurbitae indigent, naſcuntur paſſim in Palaeſtina. Addit, relinquere ſe nomen hebr. noluiſſe latinis ignotum; cum vero hi nomen plantae proprium non haberent, hederam ſe interpretatum eſſe, exemplo aliorum ante ſe Interpretum. Eadem de cauſa LXX. & alii vocabulo proprio in lingua ſua deſtituti cucurbitam exponunt, non quod talem putarint, ſed quod קיקיון illud in Palaeſtina natum aliquam cum cucurbita prae ſe ferat affinitatem.

Veriſimile multi reputant, fuiſſe Ricinum majorem. Praeterea in textu heb. non dicitur, illud

K 5 virgul-

virgultum in una nocte accrevisse. Per hunc Ricini ortum Dominus ostendit, Jonam, postquam divina peregerat jussa, sibi curae esse; dum vero amicam plantae eripuit umbram, Propheta satis potuit intelligere, Deum mittentem Prophetas consulere decretis suis, non autem commodis aut famae Prophetarum.

§ V.

Stupendo huic in Jona prodigio scopus nequaquam fuit praefixus, ut Propheta etiam invitus sibi demandata perfungeretur legatione; quare non est, cur divinum hoc signum ceu superfluum &c. proterve increduli exsibilent, aut illud detorqueant ad fabulas.

Prodigii hujus fines divina sapientia ac providentia dignissimos cum SS. Patribus adveneramur; & quid? si prorsus nullos imbecillitas humana proferre valeret?... Certe statim navigantium animi haud parum commoti fuerint, dum Deus Israel ob Jonae inobedientiam tam horridam immisit tempestatem, eoque in mare deturbato illam sedavit; comperto autem, quam mirabili virtute Jonas evaserit de pelago & ipsa morte; quam invicte veri Dei potentiam edocti sunt, data simul optima conversionis occasione? Numquid sola haec ratio comprobat, miraculum istud haud fuisse superfluum?

Ipse Propheta hoc signo est confirmatus. Haud dubie opprobria, vincula, & acerbam necem hac ex legatione a natione gentili & incredula pertimuit; jam vero intrepido animo laetitiaque gestiens iter prosequitur, bene gnarus, quod de evidente discrimine, & ipsa morte Deus valeat eripere.

Jo-

Jonas affirmante Chriſto Luc. 11, 30. Ninivitis ſignum fuit. Num praegrandis adeo urbis cives ſuperbia, deliciisque capti, atque Rex ipſe ad Jonae viri peregrini, minusque ſpectabilis concionem in Deum credidiſſent, ac in jejunio, cinere & cilicio egiſſent poenitentiam, niſi Propheta hoc prodigio, de quo ab ipſo Jona, navigantibus ſociis, Phoenicibus aut Cilicibus potuere condoceri, ceu ſigillo miſſionem ſuam ſtabilitum iviſſet.

Equidem Jonas non ad Tygrim, penes cujus ripam Ninive condita, videtur delatus, ſed potius ad quodpiam Phoeniciae aut Ciliciae littus; haec tamen via a Ninive non adeo remota eſt, quominus in tanti re momenti certam explorarent notitiam. Ex hoc igitur prodigio Ninivitae Jonam ceu legatum divinum & veritatis teſtem ſuſpexerunt. Adhaec poenitentia tam vaſtae tamque corruptae civitatis, morumque emendatio haud fuerit ficta aut modica; ſiquidem Salvator Matth. 12, 41. Ninivitarum exemplo indociles coarguat Judaeos.

Tandem ſi perpenditur, hac triduana Jonae commoratione Chriſti tertia die reſurrectionem ac miraculum inter omnia ſummum portendi, ſola haec iterum ratio in Propheta efflagitavit prodigium. Et inde venit, ut Jonae volumen licet hiſtoricum omni jure Prophetis ſemper adnumeraretur, cum, ut in plerisque, ita maxime triduana in piſce quiete Jeſu Chriſti geſſerit typum.

§ VI.

§ VI.

Salvator licet a postremis tantum parasceves horis usque ad dominicae diluculum in sepulchro quieverit, recte tamen Jonae sese conferre potuit.

Certum est, quod Judaei non solum 24 horarum intervallum diei noctisque nomine, sed etiam saepenumero exiguam residuae diei vel noctis partem sic adpellarint. Cfr. Lightfoot Operum Tom. 2. pag. 325. ubi ex antiquissimo Talmudis Jerosol. Tractatu שבת c. 9. Hebraeorum Doctorum allegat sententiam: Dies & nox constituunt עונה & pars עונה (noctidui, quod graece dicitur νυχθήμερον) est sicut totum. Modo etiam S. Scripturis familiari quidpiam post 3 dies fore praedicitur, quod die tertio jam accidit. Cfr. 1. Reg. 30, 12. 13. 2. Paral. 10, 5--12. Esth. 4, 61. & 5, 1. Idipsum Christus exponit Matth. 16, 21. 17, 22. 20, 19. Marc. 9, 31. 10, 34. Luc. 9, 22. 18, 33. & hoc loco consentiunt, itaque legunt versio Arabica, Syriaca, Persica, & Aethiopica.

Ceterum Cleophas diem Luc. 24, 21. qua Jesus surrexit, tertiam ab ejus obitu vocat, etsi resciret, corpus Domini sub parasceves vesperam tumulo primum illatum esse, & postea Sabbato tantum ibi quievisse. Quinimo ipsi Jesu hostes hanc praedictionem ita intellexere. Matth. 27, 62. Cfr. S. Hier. in h. L. & Jon. c. 2. S. August. Lib. 1. Quaest. Evangel. quaest. 7. Leon. M. Serm. priore de Resur. Existimant ceteri Interpretes, Hebraeos tempore Christi Aegyptiorum & Romanorum, quibus subjecti erant, calculum secutos esse, & pariter a media

dia nocte in diem aliam, mediamve noctem computasse, de quo Romanorum computu Macrobius, Aulus Gellius, Plinius &c. agunt.... Matth. 14,25. etiam a Castrensibus Romanorum horis quatuor habebant noctis vigilias, ex quibus denuo patet, Christum fuisse in sepulchro tribus diebus & noctibus partialibus.

Ex dictis fluit, quid censendum sit de conviciis & sarcasmis, quibus hunc Jonae typum ac gloriosam Christi resurrectionem proscindit infelix Auctor Fragmenti praecipue pag. 176. & 177. Pestilentis foetus parens videtur ita secum reputasse, eos, quibuscum initur concertatio, facilius auctoritate sua detrusum iri, si ii sannis ac sibilis modo audacter ac proterve adpetantur, quam si e fundamentis & rationum pondere fiat impetus. Revera hoc medio incredulis cunctis solenni contra Jesu anastasin, & Jonae typum gnaviter usus est iste Antichristi praecursor.

TA.

TABULA HARMONICA
de vita & geſtis

Numerus prior Caput,

	Chronologia.	Locus.
Prooemium S. Lucae.		
Prologus S. Joannis de Divinitate Verbi.		
Conceptio S. Joannis Baptiſtae.	A.M. 3999. P. J. 4709. A. Ch. ante Ch. A. Aer. vulg. 5.	Judaea
Conceptio Chriſti.	A.M. 4000.	Nazareth
Mariae viſitatio & colloquium cum Eliſabeth.	P. J. 4710. A. Ch. ante Chr. 1. A.	Judaea
Nativitas S. Joannis.	Aer. vulg. 4.	Judaea
Genealogia S. Joſeph.		
Virgo Maria de Spiritu S. gravida Joſepho nunciatur.		Nazareth
Nativitas Chriſti		Bethlehem
- - Paſtoribus adnunciatur.		Bethlehem
Circumciſio Chriſti.	A.M. 4001. P. J. 4711. J. C. 1. ante Aer. vulg. 3	

QUATUOR EVANGELISTARUM
Jesu Christi.

sequentes Versus exhibent.

SS.Matthaeus	Marcus	Lucas	Joannes
. . .	. . .	1. 1-4.	. . .
. . .	. . .	. . .	1. 1-14.
. . .	. . .	1. 5-26.	. . .
. . .	. . .	1. 26-38.	. . .
. . .	. . .	1. 39-56.	. . .
. . .	. . .	1. 57-80.	. . .
1. 1-17.	. . .	. . .	. . .
1. 18-23.	. . .	. . .	. . .
. . .	. . .	2. 1-7.	. . .
. . .	. . .	2. 8-20.	. . .
. . .	. . .	2. 21.	. . .

	Chronologia.	Locus.
Magorum ex Oriente adventus.		Jerusalem
Turbatio Herodis & Jerosolymitarum.		Ibid.
Magi Bethlehemum petunt, Jesum adorant, eique adferunt munera.	A.M. 4001. P J 4711. A.C. 1 ante Aer. vulg. 3.	Bethlehem
Purificatio V. Mariae, & praesentatio Christi in templo.		Jerusalem
Fuga in Aegyptum.		Aegyptus
Herodes infantes occidit.		Bethlehem &c.
Reditus ex Aegypto.		Nazareth
Pueritia Christi.		Ibid.
Christus duodennis ad festum paschatis iter adgreditur.	A.M. 4012. P.J. 4722. A. C. 12. Aer.	Jerusalem
S. Joannis vocatio Anno 15. Tiberii.	vulg. 9. 30. & 31. Martii. 15. & 16. Nis.	Desertum
S. Joannes ministerium suum prosequitur, impertitque testimonium primum de Christo.	A.M. 4031. P. J. 4741. A. C. 31. Aer. vulg.	Jordanes
Baptismus Christi 30. annos nati.	28.	Ibid.

SS. Matthaeus	Marcus	Lucas	Joannes
2. 1-2.	. . .	. . .	. . .
2. 3-8.	. . .	. . .	. . .
2. 9-12.	. . .	. . .	. . .
. . .	. . .	2. 22-38.	. . .
2. 13-15.	. . .	. . .	. . .
2. 16-18.	. . .	. . .	. . .
2. 19-23.	. . .	2. 39.	. . .
. . .	. . .	2. 40. 41.	. . .
. . .	. . .	2. 42-52.	. . .
. . .	. . .	3. 1. 2.	. . .
3. 1-12.	1. 1-8.	3. 3-20.	. . .
3. 13-17.	1. 9-11.	3. 21. 22.	. . .

	Chronologia.	Locus.
Genealogia B.V. Mariae		
Chriſti tentatio.	A.M. 4032.	Deſertum
Joannis ſecundum de Chriſto teſtimonium.	P. J. 4742. A. C. 32. Aer. vulg. 29.	Bethabara
SS. Andreas, Petrus, Philippus, Nathanael primi Chriſti diſcipuli.	A. M. 4033. P. J. 4743.	
Miraculum Chriſti primum ad nuptias Cananaeas.	A. Ch. 33. Aer. vulg. 30.	Cana
Chriſti iter Capharnitanum		Capharnaum
- - & Jeroſolymitanum ad Paſcha.		Jeruſalem
Chriſtus profanos templo expellit, illudque reformat.		Ibid.
Paſcha primum.		
Chriſtus colloquitur Nicodemo.		Jeruſalem
Docet & baptizat.		Judaea
Joannes B. baptizat juxta Salim, & tertium de Chriſto teſtimonium praebet.		Aenon-
Chriſtus peregrinatur per Samariam in Galilaeam.	A.M. 4034. P. J. 4744. A Ch. 34.	Samaria
Colloquium cum Samaritana.	Aer. vulg. 31.	Sichar

SS. Matthaeus	Marcus	Lucas	Joannes
. .	. .	3. 23-38.	. .
4. 1-11.	1. 12. 13.	4. 1-13.	. .
. .	. .	. .	1. 15-34.
. .	. .	. .	1. 35-51.
. .	. .	. .	2. 1-11.
. .	. .	. .	2. 12.
. .	. .	. .	2. 13.
. .	. .	. .	2. 13-25.
. .	. .	. .	3. 1-21.
. .	. .	. .	3. 22.
. .	. .	. .	3. 23-36.
. .	. .	. .	4. 1-4.
. .	. .	. .	4. 5-26.

	Chronologia.	Locus.
Adventus discipulorum: Jesu sermones: multorum Samaritarum conversio.	A.M 4034. P.J. 4744. A Ch 34. Aer. vulg. 31.	Sichar
Christus venit in Galilaeam,		Galilaea
Et praedicat.		Ibid.
Reguli in Capharnaum habitantis filium sanat.		Cana
In Nazareth praedicat, sed contemnitur.		Nazareth
Joannes in vinculis: Jesus adit Capharnaum.		Capharn.
Vocatio SS. Petri, Andreae, Jacobi, Joannis ad Apostolatum.		Mare Galilaeae.
Christus docet in Synagoga, & daemonem expellit.		Capharn.
Socrum Petri sanat a febri.		Ibid.
Sub vesperam varia operatur prodigia.		Ibid.
Secedit altero mane in desertum ad preces.		Desertum
Peregrinatur ad urbes Galilaeae, & praedicat in Synagogis.		Galilaea
Docet e navi, & Petrum mirabili piscium captura donat.		Mare Galilaeae

SS.Matthaeus	Marcus	Lucas	Joannes
. . .	. . .	. . .	4. 27-42.
. . .	. . .	. . .	4. 43-45.
. . .	. . .	4. 14. 15.	. . .
. . .	. . .	. . .	4. 46-54.
. . .	. . .	4. 16-30.	. . .
4. 12-17.	1. 14. 15.	. . .	. . .
4. 18-22.	1. 16-21.	. . .	. . .
. . .	1. 21-28.	4. 31-37.	. . .
8. 14. 15.	1. 29-31.	4. 38. 39.	. . .
8. 16. 17.	1. 32-34.	4. 40. 41.	. . .
. . .	1. 35-38.	4. 42. 43.	. . .
4. 23.	1. 38. 39.	4. 44.	. . .
. . .	. . .	5. 1-11.	. . .

	Chronologia.	Locus.
Sanat leprosum prope urbem quandam.	A.M. 4034. P. J 4744.	Galilaea
Abit in desertum ad orationem.	A. C. 34. Aer. vulg.	Desertum
Sanat paralyticum.	31.	Capharn.
Vocatio Levi. (S. Matthaei) a telonio.		Mare Galilaeae
Convivium Jesu cum Levi.		Capharn.
Brevi ante pascha discipulos Sabbato spicas fricantes defendit.		prope Jerusalem
Pascha secundum.		
Christus annos 38. claudum Sabbato in Bethsaida sanat, & hocce miraculum propugnat.		Jerusalem
Alio Sabbato manum aridam sanat.		Judaea
Postea regionem maris Galilaei repetit.		Galilaea
In monte 12. Apostolos ex discipulis seligit.		Ibid.
In monte praedicat.		Ibid.
Praedicationis summam in campo ad populum repetit.		Ibid.
Capharnaum iturus leprosum in via sanat.		Ibid.

SS. Matthaeus	Marcus	Lucas	Joannes
. . .	1. 39.40.	5. 12-15.	. . .
. . .	. . .	5. 16.	. . .
. . .	2. 1-12.	5. 17-26.	. . .
. . .	2. 13.	5. 27-28.	. . .
. . .	2. 14.15.	5. 29.	. . .
. . .	2. 23-28.	6. 1-5.	. . .
. . .	. . .	. . .	5. tot.
. . .	3. 1-6.	6. 6-11.	. . .
4. 24.25.	3. 7-12.	. . .	. . .
5. 1.	3. 13-19.	6. 12-16.	. . .
5. 6.7.	. . .	. . .	. . .
. . .	. . .	6. 17-49.	. . .
8. 1-4.	. . .	7. 1.	. . .

	Chronologia.	Locus.
Centurionis servum sanat.	A.M. 4034. P. J. 4744. A. Ch. 34. Aer. V. 31.	Capharn.
Viduae filium resuscitat.		Naim
In domo Simonis Pharisaei poenitentem peccatricem, a qua ungitur, defendit.		Ibid.
Per oppida & vicos peregrinatur.		Galilaea
Redit Capharnaum.		Capharn.
Blasphemias Pharisaeorum refutat.		Ibid.
Mater & fratres Jesu adveniunt.		Ibid.
In concione varias parabolas loquitur.		Mare Galilaeae.
Jesus fretum transiturus diversa quibusdam respondet, qui volebant ipsum sequi.		Ibid.
Sedat tempestatem maris		Ibid.
Ex obsessis daemonia ejicit.		Regio Gerasenor.
Redit Capharnaum, ubi denuo paralyticum sanat.		Capharn.
Vocato Matthaeo, conversationem suam cum publicanis & peccatoribus, atque omissum discipulorum defendit jejunium.		Ibid.

SS. Matthaeus		Marcus		Lucas		Joannes
8.	5-13.	. . .		7.	2-10.	. . .
. . .		. . .		7.	11-18.	. . .
. . .		. . .		7.	36-50.	. . .
. . .		. . .		8.	1.2.	. . .
. . .		3.	20.21.	. . .		. . .
. . .		3.	22-30.	. . .		. . .
. . .		3.	31-45.	8.	19-21.	. . .
. . .		4.	1-34.	8.	4-18.	. . .
8.	18-23.	4.	35.36.	. . .		. . .
8.	24-27.	4.	37-41.	8.	22-25.	. . .
8.	28-32.	5.	1-20.	5.	30-39.	. . .
9.	1-8.	5.	21.	8.	40.	. . .
9.	9-17.	2.	16-21.	5.	30-39.	. . .

	Chronologia.	Locus.
Sanat haemorrhoufam, & Jairi filiam a morte refufcitat.	A. M. 4035. P. J, 4745. A. Ch. 35. Aer. V. 32.	Capharn.
Duos coecos illuminat, & daemoniacum fanat.		Ibid.
Iterum a Nazarethanis contemnitur.		Nazareth
Per urbes & oppida peregrinatur.		Galilaea
12. Apoftolos emittit.		Ibid.
Iter fuum profequitur ac praedicat.		Ibid.
S. Joannes B. duos difcipulos ad Jefum ablegat: profundi fermones Chrifti.		Ibid.
Iterata apologia Jefu pro difcipulis Sabbato fpicas vellentibus.		Ibid.
Eodem die in Synagoga aridam manum fanat.		Capharn.
Pharifaeorum infidias declinat.		Ibid.
Daemoniacum coecum & mutum fanat.		Ibid.
Pharifaeorum blafphemias de Beelzebub revincit, iisque fignum poftulatum negat.		Ibid.
Mater & fratres Jefu.		Ibid.

SS. Matthaeus	Marcus	Lucas	Joannes
9. 18 26.	5. 22-43.	8. 41-56.	. . .
9. 27-34.	. . .	. . .	. . .
. . .	6. 1-6.	. . .	. . .
9. 35-38.	. . .	. . .	. . .
10. tot.	6. 7-13.	9. 1-6.	. . .
11. 1.	. . .	. . .	. . .
11. 2-30.	. . .	. . .	. . .
12. 1-8.	. . .	. . .	. . .
12. 9-13.	. . .	. . .	. . .
12. 14-21.	. . .	. . .	. . .
12. 22.-23.	. . .	. . .	. . .
12. 24-45.	. . .	. . .	. . .
12. 46-50.	. . .	. . .	. . .

Para-

	Chronologia.	Locus.
Parabolas diversas ex navi proponit:	A. M. 4035. P. J. 4745. A. Ch. 35. Aer. V. 32.	Mare Galilaeae.
Quas seorsim discipulis suis exponit.		Capharn.
A popularibus suis iterum contemnitur.		Nazareth
Herodes opinatur, S. Joannem a se decollatum esse redivivum.		
Salvator 500 viros cibat.		Desertum prope Bethsaida
Discipulos suos & turbam postea dimittit, ac in montem secedit.		
Discipulis in mari ambulans occurrit.		Mare Galilaeae.
Sequenti die in Synagoga de pane vitae perorat.		Capharn.
Pascha tertium.		
Jesus peragrat Galilaeam		Galilaea
Pharisaeorum vanas traditiones exprobrat.		Ibid.
Mulieris Cananaeae filiam,		Fines Tyri & Sidonis
Et surdum ac mutum sanat, multosque infirmos alios.		Decapolis
Iterum 4000 viros cibo reficit.		Ibid.

SS. Matthaeus	Marcus	Lucas	Joannes
13. 1-35.	. . .	. . .	. . .
13. 36-53.	. . .	. . .	. . .
13. 54-58.	. . .	. . .	. . .
14. 1-12.	6. 14-29.	9. 7-9.	. . .
14. 13-21.	6. 30-44.	9. 10-17.	6. 1-14.
14. 22.23.	6. 45.46.	. . .	6. 15.
14. 24-26.	6. 47-56.	. . .	6. 16-21.
. . .	. . .	. . .	6. 22-71.
. . .	. . .	. . .	7. 1.
15. 1-20.	7. 1-23.	. . .	. . .
15. 21-28.	7. 24-30.	. . .	. . .
15. 29-31.	7. 31-37.	. . .	. . .
15. 32-39.	8. 1-10.	. . .	. . .

Phari-

	Chronologia.	Locus.
Pharisaei iterum frustra signum petunt.	A M. 4035. P. J. 4745. A. Ch. 35. Aer. V. 32.	Magdala & Dalmanutha.
Jesus coeco visum praebet.		Bethsaida
Ad Simonis Petri confessionem Dominus eidem Cephae promittit claves regni coelorum, simul ac passionem suam praedicit.		Caesarea Philippi
Transfiguratio Christi.		Tabor
Sanatio pueri lunatici.		Galilaea
Christus denuo passionem suam praedicit.		Ibid.
Dehortatur discipulos ab ambitione.		Capharn.
Ad Scenopegiae festum quasi in occulto migrat Jerusalem.		Galilaea
In via Samaritani renuunt Jesu hospitium.		Samaria
Christus respondet iis, qui ad sui sequelam erant parati.		Judaea
In templo docet, seque ipsum defendit.		Jerusalem
LXX. discipulos emittit.		Mons Oliveti
Sistitur adultera.		Jerusalem

SS. Matthaeus	Marcus	Lucas	Joannes
16. 1-12.	8. 11-21.	. . .	. . .
. . .	8. 22-26.	. . .	. . .
16. 13-28.	8. 27-38.	9. 18-27.	. . .
17. 1-13.	9. 1-13.	9. 28-36.	. . .
17. 14-21.	9. 14-29.	9. 37-43	. . .
17. 22. 23.	9. 30-32.	9. 44. 45.	. . .
. . .	9. 33-41.	9. 46-50.	. . .
. . .	. . .	. . .	7. 2-9.
. . .	. . .	9. 51-56.	7. 10.
. . .	. . .	9. 57-62.	. . .
. . .	. . .	. . .	7. 11 53.
. . .	. . .	10. 1-16.	8. 1.
. . .	. . .	. . .	8. 2-11.

Chri-

	Chronologia.	Locus.
Chriſtus diſputat cum Judaeis, qui ipſum lapidibus nituntur adpetere.	A.M. 4035. P. J 4745. A. C. 35. Aer.V.32.	Jeruſalem
Coecus ſanatur, cui ſe Meſſiam manifeſtat, & de miſſionis ſuae ſcopo loquitur.		Ibid.
Redeunt LXX diſcipuli.		Jeruſalem
Jeſus parabolam de Samaritano proponit.		Ibid.
Hoſpitio excipitur a Maria & Martha.		Bethania
Diſcipulos orare docet.		Judaea
Iterato vindicat expulſionem daemonis ex homine muto.		Judaea
Convivatur apud Pharifaeum, & occaſione neglectae manuum lotionis diſputat.		Ibid.
Turbis varii generis monita & doctrinas proponit.		Ibid.
Occiſis a Pilato Galilaeis anſam capit, ad poenitentiam hortandi.		Ibid.
Mulierem, quam alligavit Satanas, Sabbato curat.		Ibid.
Parabolae de regno Dei.		Ibid.

SS. Matthaeus	Marcus	Lucas	Joannes
. . .	. . .	. . .	8. 12-59.
. . .	. . .	. . .	9. 1-34.
. . .	. . .	. . .	9. 35-38.
. . .	. . .	. . .	9. 39-41. 10. 1-21.
. . .	. . .	10. 17-25.	. . .
. . .	. . .	10. 25-37.	. . .
. . .	. . .	10. 38-42.	. . .
. . .	. . .	11. 1-13.	. . .
. . .	. . .	11. 14-36.	. . .
. . .	. . .	11. 37-54.	. . .
. . .	. . .	12. tot.	. . .
. . .	. . .	13. 1-9.	. . .
. . .	. . .	13. 10-17.	. . .
. . .	. . .	13. 18-22.	. . .

	Chronologia.	Locus.
Christus in encaeniis se dicit unum esse cum Patre & filium Dei: ostendit se non esse blasphemum.	A. M. 4035 P. J. 4745. A. C. 35. Aer. vulg. 32.	Jerusalem
Postea abit in ditionem Herodis.		Peraea
Salvandorum paucitatem docet.		Ibid.
Respondet Pharisaeis hortantibus, ut e ditione Herodis abiret.		Ibid.
Sanatur hydropicus.		Ibid.
Varii sermones Jesu in mensa.		Ibid.
Sequela Christi quid reposcat.		
Diversae parabolae.		
Venit Capharnaum, & censum solvit.		Capharn.
Ambitionem discipulorum objurgat & a scandalo pusillorum cavendum docet.		Ibid.
Quomodo frater peccans debeat corripi, eique ignoscendum.		Ibid.
De efficacia fidei, humilitate &c.		Ibid.
Proficiscitur ad plagas Judaeae.		

SS. Matthaeus	Marcus	Lucas	Joannes
. . .	. . .	. . .	10. 22-39.
. . .	. . .	. . .	10. 40-42.
. . .	. . .	13. 23-30.	. . .
.	. . .	13. 31-35.	. . .
. . .	. . .	14. 1-6.	. . .
. . .	. . .	14. 7-24.	. . .
. . .	. . .	14. 25-34.	. . .
. . .	. . .	15. 16.	. . .
17. 24-27.	. . .	. . .	. . .
18. 1-14.	9. 42-50.	17. 1. 2.	. . .
18. 15-32.	. . .	17. 3. 4.	. . .
. . .	. . .	17. 5-10.	. . .
19. 1. 2.	. . .	. . .	. . .

	Chronologia.	Locus.
In via decem leprosos sanat.	A. M. 4035. P. J. 4745. A. Ch. 35. Aer. V. 32.	Fines Judaeam inter & Samariam
Adventus Christi in Peraea.		Peraea
Respondet Pharisaeis ad quaestionem de adventu regni sui.		Ibid.
Ejusdem circumstantias docet, ac orationis necessitatem & utilitatem.		Ibid.
Parabola de Pharisaeo & Publicano.		
De divortio matrimonii.		
Parvulis benedicit.		Ibid.
Adolescentem ad sequelam invitat.		Ibid.
Sequelae Christi praemia.		
Parabola de vinea.		
Lazari morbus Christo nunciatur.		Ibid.
Christus iter in Judaeam instituit.		Ibid.
Praedictio passionis, mortis & resurrectionis Christi.		Ibid.
Filiis Zebedaei respondet.		Ibid.
Coecum prope Jericho sanat.		Jericho

SS. Matthaeus	Marcus	Lucas	Joannes
. . .	. . .	17. 11-19.	. . .
. . .	10. 1.	. . .	. . .
. . .	. . .	17. 20. 21.	. . .
. . .	. . .	17. 22-37.	. . .
	. . .	18. 1-8.	. . .
. . .	. . .	18. 9-14.	. . .
19. 3-12.	10. 2-12.	. . .	. . .
19. 13-15.	10. 13-16.	18. 14-17.	. . .
19. 16-26.	10. 17-27.	18. 18-27.	. . .
19. 27-30.	10. 28-31.	18. 28-30.	. . .
20. 1-16.	. . .	. . .	. . .
. . .	. . .	. . .	11. 1-16.
. . .	10. 32.	. . .	. . .
20. 17-19.	10. 33. 34.	18. 31-34.	. . .
20. 20-28.	10. 35-45.	. . .	. . .
. . .	. . .	18. 35-43.	. . .

Diver-

	Chronologia.	Locus.
Divertit ad Zachaeum, qui convertitur.	A.M. 4035. P.J. 4745. A. Ch. 35. Aer. V. 32.	Jericho
Parabola de nobili, qui peregre abiit &c.		
Sanatio Bartimaei coeci,		Ibid.
Et duorum adhuc coecorum.		
Chriſtus iter Jeruſalem proſequitur.		Judaea
Lazarum mortuum reſuſcitat.	A.M. 4036. P.J. 4746. A. Ch. 36. Aer. vulg. 33.	Bethania
Synedrii conſilia.		Jeruſalem
Jeſus ſeceditin regionem juxta deſertum.		Ephrem
A Maria ungitur.		Bethania
Inſidens aſino Jeruſalem pergit die ſolis.		Jeruſalem
Meſſiam ſe demonſtrat actione in templo peracta.		Ibid.
Die lunae ficui in via maledicit.		Ibid.
Iterum ementes & vendentes templo ejicit.		Ibid.
Die tertio (martis) arefacta ficus a diſcipulis conſpicitur: Sermones Jeſu.		Ibid.
Reſpondet Jeſus de poteſtate &c. ad Synedrium.		Ibid.

SS. Matthaeus	Marcus	Lucas	Joannes
. . .	. . .	19. 1-10.	. . .
. . .	. . .	19. 11-27.	. . .
. . .	10. 46-52.	. . .	. . .
20. 29-34.	. . .	. . .	. . .
. . .	. . .	19. 28.	. . .
. . .	. . .	. . .	11. 17-45.
. . .	. . .	. . .	11. 46-52.
. . .	. . .	. . .	11. 53-57.
. . .	. . .	. . .	12. 1-11.
21. 1-11.	11. 1-10.	19. 29-44.	12. 12-19.
21. 12-17.	11. 11.	19. 45-48.	. . .
21. 18. 19.	11. 12 14.	. . .	. . .
. . .	11. 15 16.	. . .	. . .
21. 20-22.	11. 19-26.	. . .	. . .
21. 23-27.	11. 27-33.	20. 1-8.	. . .

	Chronologia.	Locus.
Adhaec varias Sacerdotibus proponit similitudines,	A.M. 4036. P.J. 4746. A.Ch. 36.	Jerusalem
Et populo parabolam de nuptiis filio regio paratis.	Aer. vulg. 33.	Ibid.
Quaestio de censu Caesari dando.		Ibid.
- - - Sadducaeorum de resurrectione.		Ibid.
- - - Scribae de praecepto maximo.		Ibid.
- - - Cujus filius sit Christus?		Ibid.
Scribis & Pharisaeis divinum judicium adnunciatur.		Ibid.
Pauperis viduae obolus in gazophylacium conjectus.		Ibid.
Graeci Jesum videre desiderant: occasio nonnullorum sermonum.		Ibid.
Judicium populi de coelesti voce.		Ibid.
Novissimi sermones Jesu in templo.		Ibid.
Salvator discipulos suos signa excidii Jerusalem praedocet.		Mons Oliveti
Quid tum agendum sit, ostendit.		Ibid.

SS. Matthaeus	Marcus	Lucas	Joannes
21. 28-46.	12. 1-12.	20. 9-19.	. . .
22. 1-14.	. . .	. . .	. . .
22. 15-22.	12. 13-17.	20. 20-26.	. . .
22. 23-33.	12. 18-27.	20. 27-40.	. . .
22. 34-40.	12. 28-34.	. . .	. . .
22. 41-46.	12. 35-37.	20. 41-44.	. . .
23. tot.	12. 38-40.	20. 45-47.	. . .
. . .	12. 41-44.	21. 1-4.	. . .
. . .	. . .	. . .	12. 20-27.
. . .	. . .	. . .	12. 28-29.
. . .	. . .	. . .	12. 30-50.
24. 1-14.	13. 1-13.	21. 5-19.	. . .
24. 15-28.	13. 15-23.	21. 20-24.	. . .

	Chronologia.	Locus.
Ultimum adventum suum describit.	A. M 4036. P. J. 4746.	Mons Oliveti
Ad quaestionem, quando haec sint eventura, respondet.	A. Ch. 36. Aer. V. 33.	Ibid.
Ad vigilantiam hortatur.		Ibid.
Tandem de ultimo mundi judicio loquitur.		Ibid.
Hoc modo publicum docendi officium terminat.		
Praedicit imminere passionem suam.		
Consilium de Christo occidendo.		Jerusalem
Jesus iterato ungitur.		Bethania
Judas paciscitur, cum Principibus Sacerdotum.		Jerusalem
Jesus die Mercurii discipulorum pedes lavat.		Bethania
Prima vice proditorem suum indicat.		Ibid.
Admonet Petrum de imminente lapsu.		Ibid.
Die Jovis mane Petrum & Joannem ad urbem mittit, agnum paschalem paraturos.		Ibid.
Discipulos ceteros consolatur, ac de abitu suo instruit.		Ibid.

SS. Matthaeus	Marcus	Lucas	Joannes
24. 29-31.	13. 24-27.	21. 25-27.	. . .
24. 32-36.	13. 28-32.	21. 28-33.	. . .
24. 37-51. 25. 1-30.	13. 33-37.	21. 34-36.	. . .
25. 31-46.	. . .	. . .	. . .
. . .	. . .	21. 37. 38.	. . .
26. 1. 2.	. . .	. . .	. . .
26. 3-5.	14. 1. 2.	22. 1. 2.	. . .
26. 6-13.	14. 3-9.	. . .	. . .
26. 14-16.	14. 10. 11.	22. 3-6.	
. . .	. . .	. . .	13. 1-20.
. . .	. . .	. . .	13. 21-30.
. . .	. . .	. . .	13. 31-38.
26. 17-19.	14. 12-16.	22. 7-13.	. . .
. . .	. . .	. . .	14. tot.

Coe-

	Chronologia.	Locus.
Coena ultima paſchalis.	A.M. 4036	Jeruſalem
Chriſtus queritur de proditore ſuo, quem manifeſtat.	P. J. 4746 A. Ch. 36. Aer. V. 33.	Ibid.
Inſtituit ſacram Euchariſtiam.		Ibid.
Iterum de proditore conqueritur, ac diſcipulorum contentionem dirimit:		Ibid.
Atque Petro lapſum & ceteris imminens periculum adnunciat.		Ibid.
Ultimus ſermo Jeſu, quo ſuis valedicit.		Ibid.
Quem ferventi oratione terminat.		Ibid.
Ad Gethſemane abiens in via ſequentibus diſcipulis fugam, Petro lapſum tertio praenunciat.		Ibid.
In horto precatur, ac moeſtus eſt uſque ad mortem.		Gethſemane
A Juda traditur hoſtibus.		Ibid.
Malchi aurem ſanat, ac ligari ſe permittit.		Ibid.
Deſertus a ſuis primo ad Annam, deinde Caipham P. ducitur.		Jeruſalem

SS.Matthaeus	Marcus	Lucas	Joannes
. . .	. . .	22. 14-18.	. . .
26. 20-25.	14. 17-21.	. . .	. . .
26. 26-29.	14. 22-25.	22. 19.20.	. . .
. . .	. . .	22. 21-30.	. . .
. . .	. . .	22. 31-38.	. . .
. . .	. . .	. . .	15. 16.
. . .	. . .	. . .	17.tot.
26. 30-36.	14. 26-32.	22. 39.40.	18. 1.
26. 37-46.	14. 33-42.	22. 41-46.	. . .
26. 47-50.	14. 43-46.	22. 47.48.	18. 2-9.
26. 51-56.	14. 47-49.	22. 49-54.	18. 10-12.
26. 56.57.	14. 50-53.	22. 54.	18. 13-14.

Pe-

	Chronologia.	Locus.
Petrus ſequitur, venitque ad aulam Caiphae.	A.M. 4036. P. J. 4746.	Jeruſalem
Jeſus in Synedrio ſiſtitur.	A. C. 36.	Ibid.
Interea ter a Petro negatur.	Aer. V. 33.	Ibid.
Jeſus traditur miniſtris, & male habetur.		Ibid.
Perducitur ad Pilatum.		Ibid.
Judas proditor Pontificibus 30 argenteos refert, e quibus poſtea ager emitur.		Ibid.
Jeſus a Synedrio coram Pilato accuſatur.		Ibid.
Hic Jeſu cauſam audit, eumque declarat innocentem.		Ibid.
Perſiſtunt in accuſationibus ſuis Pontifices, quibus Chriſtus nihil reſpondet.		Ibid.
Pilatus Jeſum ad Herodem mittit, & in reditu ſecundo innocentem declarat.		Ibid.
Interrogatur populus, an mallet Jeſum, an Barabbam dimitti liberum.		Ibid.
Iterum propoſita Jeſu innocentia dum Pilatus nihil proficit, manus lavat, & Jeſum ad flagella & crucem tradit.		Ibid.

S.Mathaeus	Marcus	Lucas	Joannes
26. 58.	14. 54.	22. 54.	18. 15-18.
26. 59-68.	14. 55-64.	. . .	18. 19-24.
26. 69-74.	14. 66-72.	22. 55-62.	18. 25-27.
26. 67. 68.	14. 65.	22. 63-65.	. . .
27. 1. 2.	15. 1.	22. 66-71. 23. 1.	18. 28.
27. 3-10.	. . .	. . .	. . .
. . .	. . .	23. 2.	18. 28-32.
27. 11.	15. 2.	23. 3. 4.	18. 33-38.
27. 12-14.	15. 3. 5.	23. 5.	. . .
. . .	. . .	23. 6-16.	. . .
27. 15-22.	15. 6-13.	23. 17-19.	18. 39. 40.
27. 23-26.	15. 14. 15.	23. 20-25.	. . .

Je-

	Chronologia.	Locus.
Jesus in praetorio flagellatur.	A.M. 4036. P. J. 4746.	Jerusalem
Dum Pilatus Jesum adserere postremo, sed irrito labore contendit, mortis sententiam dicit.	A. Ch. 36. Aer. vulg. 33.	Ibid.
Jesus ad crucifixionem educitur.		Ibid.
Crucifigitur, &		Golgatha
Multis modis illuditur & blasphematur.		Ibid.
Interea Jesus poenitenti latroni promittit paradisum.		Ibid.
Virginem matrem commendat Joanni.		Ibid.
Tenebrae ac querela de sui a Deo Patre derelictione.		Ibid.
In siti potatur aceto, & oraculis omnibus de passione &c. impletis emittit spiritum.		Ibid.
Signa moriente Jesu patrata spectatorum movent animos.		Ibid.
Latronibus franguntur ossa: Jesu latus aperitur.		Ibid.
Corpus Jesu deponitur, & tumulo infertur,		Hortus Joseph

SS.Matthaeus	Marcus	Lucas	Joannes
27. 27-30.	15. 16-19.	. . .	19. 1-3.
. . .	. . .	. . .	19. 4-16.
27. 31-34.	15. 20-23.	23. 26-32.	19. 16. 17.
27. 35. 36.	15. 24. 25.	23. 33. 34.	19. 17-24.
27. 37-44.	15. 26-32.	23. 35-38.	. . .
. . .	. . .	23. 39-43.	. . .
. . .	. . .	. . .	19. 25-27.
27. 45-47.	15. 33-35.	23. 44. 45.	. . .
27. 48-50.	15. 36. 37.	23. 46.	19. 28-30.
27. 51-56.	15. 38-41.	23. 47-49.	. . .
. . .	. . .	. . .	19. 31-37.
27. 57-60.	15. 42-46.	23. 50-54.	19. 38-42.

	Chronologia.	Locus.
Mulieres adſiſtunt, quae unctionem adhuc pretioſiorem meditantur.	A. M. 4036. P. J. 4746. A. Ch. 36. Aer. V. 33.	Hortus Joſeph
Pontifices curant ſepulchrum cuſtodiri.		Ibid.
Summo mane ad ſepulchrum mulieres exeunt, de removendo lapide ſollicitae.		Ibid.
Durante terrae motu Angelus lapidem removet de oſtio monumenti, & cuſtodes vehementer perterrefacit.		Chriſti Sepulchr.
Mulieres interea vident revolutum lapidem: M. Magdalena feſtinat ad diſcipulos, nunciatura, corpus Jeſu abeſſe.		Ibid.
Maria Jacobi & Salome &c. intrant ſepulchrum, & ab Angelo de Chriſti reſurrectione redduntur certiores.		Ibid.
Petrus & Joannes vacuo in ſepulchro poſita cernunt linteamina.		Ibid.
Jeſus M. Magdalenae apparet.		Ibid.

SS. Matthaeus	Marcus	Lucas	Joannes
27. 61.	15. 47.	23. 55.56.	. . .
27. 62-66.	. . .	. . .	. . .
28. 1.	16. 1-3.	24. 1.	20. 1.
28. 2-4.	. . .	. . .	. . .
. . .	16. 4.	. . .	20. 1.2.
28. 5-8.	16. 5-8.	24. 2-9.	. . .
. . .	. . .	. . .	20. 3-10.
. . .	16. 9.10.	. . .	20. 11-18.

 Eun-

	Chronologia.	Locus.
Eundem reduces ad urbem mulieres vident.	A.M. 4036. P. J. 4746. A. C. 36. Aer. V. 33.	Jerusalem
Interea Custodum quidam Pontificibus deferunt, quae ad sepulchrum evenere, & persuadentur, ut falsum quodpiam nuncium divulgent.		Ibid.
Mulieres discipulis nunciant, quae viderunt & audierunt, sed fides non habetur illis.		Ibid.
Hisce commotus Petrus iterum sepulchrum accedit.		Sepulchr.
Jesus adparet discipulis Emmahuntinis.		Emmahus
Qui reversi id aliis narrant discipulis.		Jerusalem
Eodem vespere adparet Jesus discipulis, absente Thoma.		Ibid.
Hic cum nollet credere, Jesus octo post diebus iterum adparet, & dubium tollit.		Ibid.
Discipulis variis se Jesus videndum praebet ad mare Tiberiadis.		Mare Galilaeae.
Colloquium Jesu cum Petro memoratu dignum.		Ibid.

SS. Matthaeus	Marcus	Lucas	Joannes
28. 9 10.	. . .	. . .	. . .
28. 11-15.	. . .	. . .	. . .
. . .	16. 10. 11.	24. 9-11.	20. 18.
. . .	. . .	24. 12.	. . .
. . .	16. 12.	24. 13-32.	. . .
. . .	16. 13.	24. 33-35.	. . .
. . .	16. 14.	24. 36-45.	20. 19-23.
. . .	. . .	. . .	20. 24-31.
. . .	. . .	. . .	21. 1-14.
. . .	. . .	. . .	21. 15-25.

	Chronologia.	Locus.
Difcipulis omnibus congregatis in monte adparet.	A.M. 4036. P. J. 4746. A. Ch. 36. Aer. vulg. 33.	Galilaea
Poftea etiam vifus eft a Jacobo:		
Et perfaepe a difcipulis fuis 40 dierum fpatio.		
Epitome ultimorum Chrifti fermonum ad difcipulos:		Jerufalem
Quibus praefentibus tandem coelos afcendit.		Mons Oliveti

S. Matthaeus	Marcus	Lucas	Joannes	
28.16-20.	16.15-18.	. . .	. . .	1 Cor. 15. 6.
. . .	. . .	. . .	. . .	1. Cor. 15. 7.
. . .	. . .	. . .	. . .	Act. 1, 3.
. . .	. . .	24.46-49.	. . .	Act. 1. 4-8.
. . .	16.19.20.	24.50-55.	. . .	Act. 1. 9-11.

IN-

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

A

B

E

F

G

H

I

Mag-

SS. Mat-

S

T

ERRATA

Pag. 1. 71. 111. benevolus Lector corriget.
Pag. 169. in tabula Lucae lin. 8. pro 5. 30. lege 8. 26.